Joan. Raviſii

TEXTORIS NIVERNENSIS, DIALOGI

Aliquot, feſtiviſsimi, ſtudioſæ Inventuti cum primis utiles.

ITEM EJUSDEM

EPIGRAMMATA

Non pauca ut doctiſſima, ita & lepidiſſima.

Omnia recens diligenter recognita & emendata.

LONDINI,
Excudebat *Joannes Field*, M. DC. LXVI.

LUDOVICUS FABER

PARISIENSIS,

JOANNI MORINO,

Prætori clariſſimo, S.

DOlebam vehementer me non poſſe nanciſci tempus, Prætor æquiſſime, in quo & de benevolentiâ erga me tuâ, & pro tot meritis in literatos, tot officiorum atque amoris ſignis unde tibi gratias egiſſe maximas oportuit, prolixæ & beneficæ tuæ naturæ teſtimonium facerem, hoc mihi ſomnum frequenter excutiebat, hoc me ſine moleſtiâ vigilare non patiebatur. Eſt enim moleſtum homini debenti, eidem quo ſit optimè meritum, nullam referre gratiam, longéque alienum à memore & grato beneficia prætermittere, cùm repentè oblatum hoc mihi fuit ſcribendi argumentum in commendationem hujus opuſculi, quod non tam velim animo profecisse, quàm perpetuum meum tuarum virtutum judicium, quas nemo literis conſequi poteſt: hoc enim agis, ut omnibus nominibus apud omnes bene audias, te mirificè ſingularis eruditio, doctrinâque commendant: & quod in pleriſque judicibus hodiè deſideris ingenium velox & adgerendam Rempublicam aptiſſimum, nihil humile, nihil caducum, ſed

unumquodque magnificum, excelsum, immortalitate dignum, consiliis mentis agitas, mentem istam tuam MORINE, & te dignam, & omnibus bonarum literarum studiosis cum voluptatum præsidio futuram, & laudo & agnosco, teque istâ gravitate, dignitate, doctrinâ virum admiror, qui si benè te cognitum habeo, non sinè possis, etiam ut velis, sine literis vivere. Quare ad hujus opusculi lectionem, quæ tibi & lectoribus incredibilem pariet voluptatem, te vel fortè currentem incito, hoc tamen pusillum non aspernabere, quamvis nescio quâ novæ editionis cupiditate, tam repentè, nec satis expunctè calcographus in apertum protulerit, ita ut non permiserit sibi Doctorum diligentiumque virorum consilium limámque interponi. Si quid offensum fuerit, Henricus Laberius eruditiorum hominum eloquentissimus, eloquentium eruditissimus, tibi & Bragelonis in formando Senatu Catonianis, qui & juris & fori tui duo velut relucent lumina, intra paucos dies hoc volumen castigatissimum: longéque majora Textoris, & suæ fœturæ opera temerè non communicanda designavit, hic permultos, si nescis honorifica in scribendo mentione ad cœlum vocavit, qui tamen, ita in votis habet, nullam putabit suis laboribus missionem tantisper impetravisse, dum in te, si non licet ut vult, saltem ut potest, fuerit exspaciatus,

adeò

adeò illi atque adeò omnibus ex integro commendandus videris. Habebit interim juventus hoſce Dialogos, quibus ſe oblectet, in his etenim Raviſius Textor *aureum ſuavitatis flumen effudit. Tu verò, vir cirtunſpecte, quòd te legentem, exhilaret, & quod ſpem alat noſtrarum vigiliarum, quarum ad quemnam potiùs, quàm ad te, fructum, ſi quis futurus ſit, detulero? Perficiam etiam omni opera, ſtudio, aſſiduitate, ut me ſemper memorem intelligas, neque tuæ ad me amandum unquam pœniteat voluntatis. Interim patrocinandum tibi eſt doctis hominibus, quos tu tam conſtanter, quàm qui maximè, tuus delicias appellas, ſupparaſitatrices tamen ſemper, ut ſoles, oderis obſervantias, & quos per omnem vitam adamaſti vehementiſſimè, ab injuriâ fortiſſimè defendas.* Vale.

HENRICI LABERII *Ad eundem.*

EXASTICON.

Cultor Apollinei, ſtudioſe *Morine*, laboris,
Nec minus in celebri vir numerande choro:
Ecce quod à magnis confirmet tractibus arcum.
Rugoſique terat ſigna ſupercilii.
Hunc horis igitur levibus complectere vatem.
Auribus hic fructum lætitiamque parit.

DE EPIGRAMMATE

Dialogico.

DIalogum conficere, cùm propter alia, tum propter decorum personarum loquentium est laborioſum; propterea quod niſi prudentiſſimus & experientiſſimus videre non poteſt, quando, quantum, quibus verbis, quomodo unumquemque loqui, & quibus moribus præditum eſſe oporteat. In omnibus & ſingulis ſeparatim τὸ πρέπον cernitur.

Exempla Epigrammatis Dialogici.

Auſonii Dialogus in ſimulacrum occaſionis & Pœnitentiæ.

Cujus opus? Phidiæ, qui ſignum Pallados ejus,
Quique Jovem fecit, tertia palma ego ſum:
Sum Dea, quæ rara, & paucis Occaſio nota.
Quid rotulæ inſiſtis? ſtare loco nequeo.
Quid talaria habes? volucris ſum; Mercurius quæ
Fortunare ſolet; tardo ego, cùm volui.
Crine tegis faciem. Cognoſci nolo, ſed heus tu,
Occipiti calvo es. Ne tenear fugiens.
Quæ tibi juncta comes? dicas tibi. dic rogo, quæ ſis?
Sum Dea cui nomen nec Cicero ipſe dedit.

Sum

Sum Dea, quæ facti non factiq; exigo pœnas;
Nempe ut pœniteat, sic Metanœa vocor.
Tu modò dic, quid agat tecum? Si quando volavi,
Hæc manet, hanc retinent, quos ego præterii;
Tu quoque dum rogitas, dum percunctando moraris,
Elapsam dices me tibi de manibus.

Dialogus in Justitiam.

Quæ Dea? Justitia. Quid torvo lumine? flecti
Nescia sum & lacrymis & pretio, & precibus.
Quod genus? à Superis. Ex quo genitore? Modò. Ecqua
Matre? Fide. Nutrix quæ tua? Pauperies.
Quis Deus infantem fovit? Prudentia. Quonam
Freta duce agnoscis crimina? Judicio
Cur gladium tua dextra gerit, cur læva bilancem?
Ponderat hæc causas, percutit ille reos.
Quid rari assistunt? Quod copia rara bonorum est.
Quæ comes assidua est? Candida simplicitas.
Aurium aperta tibi, cur altera & alteræ clausa est?
Hæc surda injustis, panditur illa nobis.
Pavere cur semper cultu? Justissimus esse
Qui cupit, exiguas semper habebit opes.

Dialogus in Venerem & Cupidinem.

Dic, age, qui fiat, dulcissime nate Cupido,
Omnes cùm timeant numinis arma tui;
Humanumque genus, Manes, Erebique profundi,
Sollicitent Superos, & simul illa Deos;
Sola tamen doctis, quæ præsidet artibus, omne
Effugit imperium, casta Minerva, tuum?
Si meminisse potes, moderator Jupiter orbis
Ipse tuas sensit captus amore faces.
Sensit & æquoreis Neptunus victus in undis,
Funoque furtivo sæpè reperta toro.
Ut taceam reliquos, & tu quoque nate parentem
Jura pudicitiæ me violare jubes.
Annè igitur solam quo Pallada vincere possis,
Extinctus nullam vim tuus ignis habet.

Cupido.

Desine, Diva Parens, mirari, & quærere causas,
Haud mea quod nequeant tela ferrire Deam
Cumque potestati sint omnia subdita nostræ,
Sola meas spernat cur tamen illa faces.
Hanc equidem valdè metuo cum lumine tantum
Aspicit, aut vultu me truculenta notat;
Assumptis illam vero quandoque sagittis
Aggressus temere nocte silenve fui;

Cela-

elavique meum perplexis artibus ignem,
Successu veritus posse carere dolos.
Nemo sed occultum quantumvis celat amorem,
Ipse ego sum semper proditus igne meo.
Insidias igitur nostras ubi sensit apertè,
Protinus hac tanquam vulsus ab hoste fui.
Nam galeam quoties, hastam vibratque tre-
mentem;
Non levis illa mihi causa pavoris adest.

Venus.

Sisle puer tales, oro, proferre querelas,
Hosque tuo vanos excute corde metus.
Marte quid asperius fuit, aut quid durius olim,
Succubuit regnis trux tamen ille tuis.
Qui prius indomitus tibi bella necemque paravit.
Sæpè dedit victas in tua vincla manus.

Cupido.

At Mars, cara parens, nobis se dedidit ultro,
Nec quidquam nostrum ferre gravatur onus.
Improba sed quoties Pallas me conspicit, illa,
Dii, quas commoto non jacit ore minas?
Quam gerit horrendam magnâ vi corripit hastam:
Taliaque infando victa dolore refert;
Ne mihi tela puer, mihi ne, puer, arma mineris,
Erras haudquaquam nos tua turba sumus.

Si

Si temerè accedes, nec me finis esse quietam.
Crede mihi, puero sat tibi fortis ero;
Aut ego præcipitem te nunc ad tartara mittam,
Aut tibi profodiet lancea nostra latus.
Hoc pater ipse mihi cujus sum vertice nata;
Jupiter hoc divum Rex mihi testis erit.
Hæc simul ut dicit, totus miser ecce tremisco,
Ex manibus subito tela faceſque cadunt.
Nescio quid faciam, lædendi nulla facultas,
Aut vis turbato nulla relicta mihi est.
Lædere nec cupio, quin hoc miser opto, precorque;
Hinc ut ego solum salvus abire queam.
Præterea angui comæ gestat caput illa Meduſæ,
Cujus ad aſpectum lumina nostra pavent.
Hoc ubi prætendit, fugio ceu cerva leonem,
Aut fugit infestum territa dama lupum.

Venus.

Et metuis Divam tu territus agide tantum:
Magnanima cures cum Jovis armâ nihil?
Hoc quoque contemnunt, dic, cur tua ſpicula Muſæ,
Et fugit imperium turba novena tuum?
Num galeas vibrant etiam, aut haſtilia torquent,
Aut fera prætendunt Gorgonis ora tibi?

Cupi-

Cupido.

Aonides vultu sunt, mater cara, pudico-
Unice & istarum numina sacra colo;
Et quoniam semper studiis retinentur honestis,
Furis in has planè nil meus ignis habet.
Invigilant cantu, molles ducuntque choreas,
Luxuria semper desidiisque vacant.
Quin ego nonnunquam vocis dulcedine captus,
Hic jungo socium me comitemque Deis.

Venus.

Esto quod Aonides vultu sint, Nate, pudico,
Unice & istarum numina sacra colas?
Ipsa tuis autem cur non est fixa sagittis,
Castaque perpetuo virgo Diana manet?

Cupido.

Hanc nunquam fateor, Mater, deprendere possum.
Conatus omnes effugit illa meos.
Improba perpetuo Dea montibus errat in altis,
Oblectat castis seque cupidinibus.
Venatrix etenim silvas saltusque fatigat,
Et gelidis figit retia tensa jugis.
Talia sunt olim Matri quæ dicta Cupido,
Respondens tenero reddidit ore suæ.
At Venus ut sperni tantum sua numina sensit,
In patriam tristis cœpit obire Paphum
Nunc ubi cum nato castis neglecta Deabus
Mæret, & Aonis est inimica choris.

Ergo

Ergo si quis erit stulto deceptus amore
Qui vacuum vitiis pectus habere volet,
Obtabitque gaves vitare Cupidinis arcus,
Armigeram colat hic Pallada tutus erit:
Concilietque sibi dulces ante omnia Musas,
Ac fugiat monitis otia cuncta meis.
Sic ullis unquam rebus, sic tempore nullo
Furis in hunc aliquid prorsus habebit Amor.

DIA-

Dialogi aliquot.

JOANNIS RAVISII TEXTORIS.

Interloquuntur.

TERRA, ÆTAS, HOMO, & alii plerique.

Terra.

QUIS mihi tot linguas, quot creditur Argus ocellis
Perdius & pernox Phariam ſervaſſe juvencam,
Præbuerit? quis tot mihi conferet ora, quot annos
Garrula fatiloquis aſcribit fama Sybillis?
Quis tot præbuerit fibras, quot vana deorum
Millia primorum veteres habuiſſe dierum
Aſcræi referunt monumenta diſerta Poëtæ?
Ferrea quis dederit tot guttura, quot tibi Xerxes
Spicula fecerunt ſtupidum tenebreſcere Phœbum?
Quis tot inundantes lacrymarum det mihi rivos,
Immerſum quot propter equum te Cyre vetuſtas
Audacem memorat ſparſiſſe in flumina Gangem?
Quis tot verborum clamoſa tonitrua mœſtæ

Ergo si quis erit stulto deceptus amore
Qui vacuum vitiis pectus habere volet,
Obtabitque gaves vitare Cupidinis arcus,
Armigeram colat hic Pallada turus erit:
Concilietque sibi dulces ante omnia Musas,
Ac fugiat monitis otia cuncta meis.
Sic ullis unquam rebus, sic tempore nullo
Furis in hunc aliquid prorsus habebit Amor.

DIA-

Dialogi aliquot.

JOANNIS RAVISII TEXTORIS.

Interloquuntur.

TERRA, ÆTAS, HOMO, & alii plerique.

Terra.

QUIS mihi tot linguas, quot creditur Argus ocellis
Perdius & pernox Phariam ſervaſſe juvencam,
Præbuerit? quis tot mihi conferet ora, quot annos
Garrula fatiloquis aſcribit fama Sybillis?
Quis tot præbuerit fibras, quot vana deorum
Millia primorum veteres habuiſſe dierum
Aſcræi referunt monumenta diſerta Poëtæ?
Ferrea quis dederit tot guttura, quot tibi Xerxes
Spicula fecerunt ſtupidum tenebreſcere Phœbum?
Quis tot inundantes lacrymarum det mihi rivos,
Immerſum quot propter equum te Cyre vetuſtas
Audacem memorat ſparſiſſe in flumina Gangem?
Quis tot verborum clamoſa tonitrua mœſtæ

Suppaditet? stomacho tot flumina rauca latranti
Quot Romanorum ferales millia Gannæ
Feciſtis patrio poſt arma carere ſepulchro?
Mi dolor eſt! quem nec verbis æquare, nec ullo
Flere ſatis gemitu liceat: Phaëtonte ruinam
Perpeſſo, multum viduæ flevere ſorores.
Nunc quoque rugoſis ſtillare electra feruntur
Corticibus, multum cæſis ab Apollinis arcu
Pignoribus doluit Niobe: dum corpore verſo
Facta lapis riguit, vehemens dolor Orphea roſit,
Dum miſera Eyridice calcato extincta colubro
Suavidicæ cantu citharæ exorata receſſit
In nigras iterum tenebras, tibi vulnus acerbum
Cor pupugit miſera Andromache, rabieſq; cruenta
Dum poſt occiſi lacrymas fletuſque mariti
Parvulus Aſtyanax patrii ſolamen amoris,
Aëriæ cecidit præceps è culmine turris.
Et multum doluit, multum miſerabilis Ægeus
Dum pullo, credens occiſum Theſea, velo
Præbuit Ægeo nomen lachrymabile ponto.
Tormentum magni paſſa eſt Icoſta doloris,
Dum vidit cæſos alterno vulnere natos.
Ægeor multa tibi traxit ſuſpiria pulmo
Dædale, dum fictis nimium temerarius alis
Icarus, undigenas immerſo corpore piſces
Pavit: & Icareis nova nomina contulit undis.
Conticeo Prognes gemitus poſt ſupra mariti.
Authonoës lachrymas laniato Actæone fletus
Antigones cæcum Oedipodem per ſaxa trahentis
Omnia ſi numeres ævi tormenta prioris
Sive breves gyaros, ſeu vincula ſive reorum
Pauperiem, ærumnas, tenebras, ergaſtula, fletus
Sive homicidarum furcas, vileſcere cuncta
Agnoſces, habita noſtri ratione doloris.
Nil erit attacto colubri periiſſe veneno.
Nil tetricas toleraſſe hyemes, nil vulnera mille,

Nil

Nil donasse cibum jejunis in cruce corvis,
Pascenti catulos nihil occurrisse leænæ.

Ætas.

Quæ dea, quæ tanto mittis suspiria luctis?

Terra.

Terra parens rerum.

Ætas.

Quid fles?

Terra.

Quid lugeo? nunquid
Justa datur matri miseræ querimonia, natos
Dum videt incerto miseros occumbere fato.

Ætas.

Justa datur.

Terra.

Nunquid dolet immansueta leæna,
Si videat catulum notæ fortasse cavernæ
Ablatum?

Ætas.

Mœret,

Terra.

Nunquid dolet aspera tygris,
Si fœtum crypta nemoris fortasse latentem
Perdiderit?

Ætas.

Mœret,

Terra.

Nunquid Gallina gemiscit,
Si pullum vorax raptarit ab æthere milvus?

Ætas.

Tristatur.

Terra.

Nunquid tenerum tristatur ovile,
Si lupus errantes forsan jugulaverit agnos?

Ætas.

Mœret.

Terra.

In umbrosis num mugit buccula sylvis,
Si decurrentem vitulum laniaverit ursa?

Ætas.

Mugit.

Terra.

Aper quid agit fœtum si perdidit unum?

Ætas.

Clamat.

Terra.

Ego quid agam, si quicquid profero: quicquid
Procreo, quicquid alo, quicquid gero, quicquid in
auras
Emitto, videam ad certum decurrere finem?
Quid nonne hoc mirum, quod tandem sylva pu-
trescit,
Putrescunt frutices, cariemque umbratilis arbos
Sentit, & arescunt foliis morientibus ulmi?

Ætas.

Est mirum.

Terra.

Quid quòd salices, alnique rubique,
Quòd quercus, quòd acer, quòd nix, quòd spi
putrescunt?

Ætas.

Fata jubent.

Terra.

Quid quòd multis fabricata diebus
Mœnia, cœtilibus quod cincta palatia muris,
Quòd turres, quòd pyramides, quòd castra, quò
urbes
Ad finem properant?

Ætas.

Cunctarum est linea rerum.

Terra.

Dura quòd exigua rodantur marmora gutta,

Quò

Quòd brevis unda cavat lapidē, quòd vincula ferri
Quòd chalybem rubigo terat, quòd quæq; teratur
Durities, ſenſimque adamas ætate fatiſcat,
Non mirum eſt ?

Ætas.

Mirum eſt fateor, putrere neceſſe eſt.

Terra.

Ferrea quid quòd habent finem ſimulacra deorum.
Proceræ quid quòd ſtatuæ, grandeſque Coloſſi,
Templaque marmoreis multum precioſa columnis,
Porticibus ſpatioſa, thoris miranda ſacratis,
Aurea relliquiis, exili tempore finem
Accipiunt ?

Ætas.

Ita diis placitum.

Terra.

Sententia divûm,
Ferrea frugipara quicquid tellure creatum
Prodierit; Quicquid gremio fœcunda crearit
Terra ſuo; Quicquid ſancto ſuboleſcere partu
Fecerit in cariem verti abſumique neceſſe eſt.

Ætas.

Expedit.

Terra.

O rabies & non ſolabilis angor !

Ætas.

Fata volunt.

Terra.

Quæ cœligenis clementia fatis ?
Nec ſatis eſt urbes everti, mœnia frangi,
Marmora conſumi, lapides putreſcere, turres
Excidere, in cariem ſtatuas tranſire, ruinam
Caſtra pati, abſumi carie atque rubigine ferrum,
Amiſſiſque prius foliis putreſcere ſylvas :
Ni pariter pereant homines, & more caducæ
Vaneſcant bullæ, currantque ad ſpicula mortis.

Ætas.

Fata volunt.

Terra.

Quæ cæligenis clementia fatis ?
Sed dum me varia verborum ambage moraris
Quæ dea, dic nomen.

Ætas.

Vocor Ætas.

Terra.

Falsa virago
Tu sola es, quæ cuncta rapis, quæ tempore cuncta
Destruis, & dubiæ submittis cuncta ruinæ.
Tempus edax rerum, tuque invidiosa virago
Omnia corrumpis.

Ætas.

Rebus finem esse caducis
Fata volunt.

Terra.

Ubi pyramides dic improba lena,
Babara quas longo fabricavit tempore Memphis
Artificum multis sudoribus ?

Ætas.

Omnia finem accipiunt.

Terra.

Ubi nunc Pharos insula, grande sepulchrum
Mausoli, & triviæ moles speciosa Dianæ,
Dic meretrix ?

Ætas.

Abiere.

Terra.

Ubi nunc Tarpeia moles,
Centifores Thebæ, Babylon circundata muris
Cotilibus grandis, Ninive, sublime theatrum
Cæsaris, & Rhodii simulacrum informe Colossi ?

Ætas.

Prævisæ Superis jam succubuere ruinæ.

Terra,

Terra.

Troja quid eſt, quid Sparta vetus, quid celſa Corinthus,
Aut enervati Salomonis nobile templum,
Dic meretrix impura?

Ætas.

Suam ſenſere ruinam.
Tu fruſtra aſſiduo verborum flumine mentem
Concutis, atque dolens querula me voce fatigas,
Terra parens oculis lachrymarum mittito rivos.
Frange tibi fauces, pulmonem rumpe, medullas
Exere, corrumpas ſtomachum, divellito fibras,
Non poteris certas fatorum rumpere leges.
Certus in eſt rerum Parcis fatalibus ordo:
Cui nequeunt vires magnorum obſiſtere regum,
Non bellatorum clypei, non æra potentum,
Non oratorum doctrina, aut carmina vatum.

Terra.

Saltem ſi tanta Parcæ feritate trahuntur,
Tantaque cœligenas rapit inclementia divos,
Conſule quid faciam.

Ætas.

Æternis obſiſtere fatis
Non potes, ut verbis deſiſtas pluribus uti.

Terra.

Nolo igitur.

Ætas

Moneas hominem: qui currit ad umbras.
Quid ruit ad mortis jaculum, ne ſpem ſibi vanis
Collocet in rebus, ne fortè ſuperbiat ulla.
Doctrina, aut opibus, membrorum aut viribus ullis,
Et dicas, dites, doctos, forteſque ruinam
Jam paſſos.

Terra.

Quantum præbes lenimen acerbo
Mœrori?

Ætas.

Nihil eſt aliud.

Terra.

Parebo, futurum
Quicquid erit mortalis homo.

Homo.

Qui tu?

Terra.

Tua mater.

Homo.

Quæ mater?

Terra.

Quæ? Terra.

Homo.

Parens chariſſima ſalve.
Quid quæris?

Terra.

Dolco fili.

Homo.

Compeſce dolorem
Mater, habes ne aliquid quo nos lenire queamus?

Terra.

Non, fili.

Homo.

Quid fles igitur?

Terra.

Scis me eſſe parentem
Cunctorum, quæcunque hominis ſibi poſtulat uſus?

Homo.

Eſſe ſcio mater.

Terra.

Scis me producere ſylvas,
Præbere arboribus ſuccos, educere grave,
Nutrire in gremio lapides, dare vitibus uvas,
Quercus hybernas glandes, producere piſces,
Gignere pennatas volucres, pratis dare fœnum,

Multi-

Multicomas hortis violas, & gramina campo;
Ac poſtremo hominem lachrymoſo educere partu?

Homo.

Cognoſco mater.

Terra.

Doleo chariſſime fili,
Quòd cum tanta meo ſoboleſcant germina fœtu,
Tot rerum veniant ſpecies, tot corpora creſcant:
Cuncta tamen rabido morſu mihi conterat ætas.
Hæc ſylvas perimit, conſumit marmora, ferrum
Atterit, evertit turres, pallatia frangit,
Caſtra domat, muros laniat, ſimulachra deorum
In cineres redigit, delubra putreſcere cogit.
Quodque magis doleo, lachrymas tormentaque paſſum
Incertis hominem jugulet ſcelerata diebus.
Propterea caveas fili, dulciſſime fili,
Ne te ullo moveat ventoſa ſuperbia faſtu:
Hoc facies fili?

Homo.

Faciam ſuaviſſima mater.

Terra.

Jamprimum ne te ſeducat bellica virtus
Immemoremque tuæ reddat putredinis, audi
Heroas divis ſimiles, quos labilis ætas
Attrivit, fecitque ſuo ſuccumbere ferro.

Hector.

Ne quis corporeis fortaſſe ſuperbiat unquam
Viribus, aut Geticis quòd ſit validiſſimus armis,
Perpendat noſtri fuerit quis terminus ævi.
Ecce ego natorum Priami fortiſſimus Hector,
Vir magnus bello, quo ſoſpite Pergama nunquam
Argolicis potuere capi ratibuſve, doliſve,
Quique Menetiadem falſis Patroclon in armis
Occidi, & Græcos violento Marte furentes
Ignavæ dare terga fugæ plerunque coëgi.

Quique decennali Trojam obsidione gravatam
Defendi, solum quem formidavit Achilles
Succubui fatis parvum Astianacta relinquens
Uxori viduæ. Sic omnia conterit ætas.

Achilles.

Ille ego sum gentis Trojanæ terror Achilles,
Olim nervosis excellens viribus, olim
Unica spes Danaum, & cœpti fiducia belli:
Me solum timuere Phryges. Ego solus in armis
Notus eram, solus tibi formidabilis Hector.
Languenti Priamo præstans mihi bellica virtus
Extiterat: validæ vires & nobile robur,
Horrescens facies, corpus compactile, nervi
Præstantes, fortes humeri, frons ardua. Tandem
Armi feræ supplex colorem dum sacra Minervæ
Ecce Paris missa trajecit arundine tergum:
Sic fortes pereunt: sic omnia devorat ætas.

Alexander.

Vita quid est nisi res fragilis, nisi bulla, vel aura,
Vel fumus, quum more pilæ revolubilis, anni
Prætereant, bullæque instar brevis hora recedat:
Temporaque incautis abeant inopina diebus.
Ah nihil immites potis est corrumpere parcas,
Mortis & horriferæ vehemens vitare flagellum,
Si nescis nostri monstrat tibi terminus ævi,
Dicor Alexander Macedo, qui solis ab ortu.
Herculeæ fama transivi littora Calpes,
Gentibus hesperiis, & eois cognitus agris,
Everti Thebas, Persarum multa cecidi
Millia, Phœnices, Cilicas bellacibus armis
Paphlagones. Persam magnâ virtute Darium
Ter domui, & validam muris Babylona subegi.
Et post auriferi trajectum flumen Idaspis,
Quatuor excelsum cubitis, palmoque potentem
Edomui Porum, domitum, pietate remisi.
Quid demum tantis armorum laudibus actis

Et

Ex indis iterum repetens Babylona ſuperbam,
Hic morbum incurri, atque ibi mors mihi turbida
Abſtulit; inſtabilis ſic omnia devorat ætas vitam.

Samſon.

Egregios bello proavos & marte potentes
Heroas recolat priſcorum fama dierum
Miratrix, adeat quà Sol utrunque recurrens
Aſpicit oceanum, viſat primordia Nili
Creſcentis, penetret Garamanthas ſole peruſtos,
Percurrat Numidas, mutatoreſque domorum
Sauromatas, refluæ perluſtret Thetyos amplum
Circuitum, & quicquid regit alti machina cœli,
Authorum ſi fortè legat monumenta priorum,
Quod conferre meis audebit viribus, uſquam
Non erit: ille ego ſum robuſto corpore Samſon,
Robore magnipotens, & viribus Hercule major.
Viventi mihi ludus erat jugulare leones,
Ludus erat curſu volucres prævertere tigres.
Quid quòd ego parvi maxilla armatus aſelli:
Mille Philiſteos occidi. Quid quòd & urbis
Avulſi portas; fuit hæc in corpore virtus,
Sed nec inhumanas mortis vitare ſagittas
Evalui: velox ſic omnia devorat ætas.

Terra.

Fœlix quem faciunt aliena pericula cautum.
Cognoſcas fili, quòd quicquid profero, quicquid
Nutrio, tempus edax mihi devorat, & brevis ætas.
Aſpicis ut validus bello deceſſerit Hector?
Utque Mycenæus vita ſpoliatus Achilles
Occiderit: dederitq; immundam vermibus eſcam?
Cernis Alexandrum & validum Samſona? fuerunt
Robuſti, periere tamen: rapit omnia tempus.
Nunc ne forte tibi faſtum præſtantia formæ
Afferat, aut aliæ ſpecioſo in corpore dotes:
Audi conſpicuas forma ac ætate puellas,
Quas avidis tandem contrivit dentibus ætas.

Helena.

Helena.

O cæcos homines, quos formæ culta venuſtas
Erigit, & cultus corporis eximius.
Nunc video, video nimium, meminiſſe neceſſe eſt,
Membra hominum fœdis vermibus eſſe epulas.
Pectimus hos crines & torto nectimus auro,
Faſciolaque caput cingimus aureolæ.
Ornamus fuco faciem, ſpeculoque propinquo
Informes digitis corrigimus maculas.
Arte caput tegimus, faciem deflectimus arte,
Cingimus arte comas, volvimus arte oculos,
Et tamen hi crines, hic fucus & iſta venuſtas,
Et cervix, pereunt more fluentis aquæ.
Ecce ego pulcra fui, tandem ſum facta cadaver;
Noſtra caro fœdis vermibus eſca data eſt.
Si neſcis, Helena eſt larva hæc umbratilis, olim
In Menelaæo rapta puella toro.
Me juvenem rapuit Theſeus, raptamque reliquit,
Nec mihi quid, præter baſia pauca tulit.
Mox Paris inſidias thalamo fraudeſque paravit,
Suſceptus noſtro perfidus hoſpitio.
Namque mihi fraudes, & ſubdola verba tetendit,
Conſuluit patrio neſcius excidio.
Hoc olidum corpus repetivit mille carinis
Græcia pro vili carne quot arma ferunt?
O quàm cruda fugax hoc & deforme cadaver,
Movit in Argivis jurgia principibus.
Te ne Paris decuit patria poſt terga relicta
Nobiſe ventoſis tradere corpus aquis?
Ut vilem carnem raperes, hoc putre cadaver,
Membra ſepulchrigenis hæc data vermiculis.
Vos ne etiam Atridæ raptis tot in arma carinis,
Longa decennali bella parare odio?
Ut præda hæc vilis, patrios remearet ad Argos,
Præda latrinali ſtercore fœtidior. (mis:
Cernite quid pulcra eſt, Helenæ nihil eſt, niſi ver-

Omnia

Omnia sic ætas devorat atque rapit.

Lais.

Si qua meretrices commendat fabula, si quis
Aut decor, aut formæ gloria conspicuæ:
Inter formosas ego prima Corinthia Lais
Prima meretricum lausque decusque fui.
Frons mea vicit ebur, facies candore liguſtrum,
Lumina erant prima candidiora nive.
Alta fuit cervix, collum breve, mollia labra,
Candore immixto subrubuere genæ.
Non aquilus nec simus erat mihi nasus, at omni
Parte decens, cygnis candidior facies.
Lascivæ gemino surgebant vertice mammæ,
Hic ubi lacteolus non nisi rivus erat.
Venter erat paulum tumidus, velut esse tenellus
Pavo solet, teneris mollior agniculis.
Hic stomachus velut teneræ prædulce columbæ
Guttur, & exiguis se saturans epulis.
Brachia quis credat, superabant lilia, & herbas
Quas alit Alcinoi luxuriosus ager.
Crura quis inspiceret mediis nisi vellet in undis
Uri, vasto etiam mersus in oceano?
Quis tremulos clunes, nisi verso corpore formam
Appeteret modici pulicis in thalamo?
Cernendis pedibus quis declinaret ocellos,
Qui non suppositus quæreret esse lapis?
Et tamen hanc faciē, hos oculos, hæc labra genasq;
Cervicem, crines, tempora, & auriculas;
Hunc stomachum, hunc ventrem, crura hæc, hæc brachia & istos
Vermibus immundis fata dedere pedes.
Discе igitur formose puer, quod conterit ætas
Omnia nos omnes pulvis & umbra sumus.

Thisbe.

Illa ego sum forma excellens Babylonica Thisbe,
Nobilis, & puris candidior nivibus,

Nulla

Nulla fuit toto præstans oriente puella,
Cui mea non facies invidiosa foret.
Iratum poteram aspectu pacare Tonantem,
Et revocare gravi fulmina torta manu.
Et suspecta tibi fueram Saturnia Juno,
Ne fierem æthereo succuba forte Jovi.
Non me vicisset candore Caystrius ales,
Frons erat hæc vernis invidiosa rosis.
Nil tamen hæc juvit facies, nil grata venustas,
Lumina nil rutilis æmula syderibus,
Quo minus immundos nutrirem corpore vermes;
Omnia sic ætas insaturata rapit.

Lucretia.

Quis divinilo quas forma laudare Sybillas
Audeat, aut Grajam prodere Penelopen?
Aut quis conspicuæ candorem scribere Didus,
Membraque amatricis candida Leucadiæ?
Ecce ego candidior niveis Lucretia cygnis,
Totaque plumeolis mollior anseribus.
Et cera tractabilior, peponeque molli
Mollior: & tenera dulcior auricula:
Hoc ego tam pulcro nutrivi corpore vermes,
Et modico cœpit me brevis urna loco.
Mammaq; quà rigidum flammis ardere Catonem,
Prurire & castum cogeret Hyppolytum.
In cineres abiit, facta est deforme cadaver,
Tam præstans facies, tam speciosa caro.
Sic quicquid sibi terra parit, mox devorat ætas,
Una eadem cunctos meta futura manet.

Terra.

Perpendas fili formæ candore venustæ
Non hominem redimi. Caro splendida putre cadaver
Efficitur: cervix, facies, oculique petulci,
Auriculæ, frons, labra, genæ, stomachusque, uterusque

In

In cineres abeunt. Sic omnia conterit ætas.
Neve aliis homines redimi tibi forte putentur
Dotibus, arrectis paulum auribus esto: docebunt
Perdocti, dites, aliique, occumbere quicquid
Terra suo partu peperit. Nunc comprime linguam,

Virgilius.

Si quis doctrinæ causa sua cornua tollit,
Aut instar Samii pavonis forte superbit:
Insanit, peccat, fit demens, deviat, errat,
Ille ego doctorum princeps & gloria vatum
Virgilius: quem cælipotens adamabat Apollo,
Cuique etiam sacræ semper favere Camœnæ,
Et cui frondicomæ Dryades simul atque Napeæ
Herbicomæ, violis caput ornavere decoris
Induperatorum nitidas accitus ad aulas,
Ad metuendorum tractus convivia regum
Occubui mihi frondipedas paviſſe capellas,
Frugiparæ docuiſſe modum telluris arandæ,
Longa decennalis cantaſſe homicidia belli.
Quid? frugis pavi vermes ut verna canopi,
Sicut ad Euphratem natus, nihil ergo poëſis
Profuit, inſtabilis ſic omnia devorat ætas.

Xerxes.

Ne quem multarum fortaſſe opulentia rerum
Inflet, & inſolito criſtas aſſumere faſtu
Cogat, & annoſæ ſibi opem præponere vitæ
Audeat: ille ego ſum regum ditiſſimus olim
Magnipotens Xerxes, cui tanta pecunia, tanta
Nummorum farrago fuit, tam magna ſupellex,
Ut paſtum dederim, belli ſtipendia tantis
Militibus, tot collectis oriente catervis,
Innumeris quarum jaculis tenebreſcere Phœbum
Vidimus, ac te etiam multis Neptune carinis,
Perpeſſum pedicas, refugóque abiiſſe natatu,
Per me qui celſo feriebat vertice nubes
Cum velis patefactus Athos, Quid copia rerum

Pro-

Profuit, aut ingens opulentia? vadimus umbræ
Perſimiles: Mecum Elyſiis ſpatiatur in agris
Crœſus, Pigmalion, Priamus, Craſſuſque Mydaſque;
Quorum mors ætate rapi docet omnia dixi.

Nero.

Si qua cruori bibas habeat modo terra tyrannos;
Si quis ſit Marius, ſi quis Catilina, vel ullus
Contemptor divum, vivat Mezentius adſit:
Ille ego ſum ſcelerum ſentinas apotheca malorum,
Sanguinis humani bibitor, Nero, cujus & ortus
Solis & occaſus noſcunt homicidia, cujus
Ingluviem & venerem Nili creſcentis origo
Novit, & Heſperiæ longiſſima littora Calpes,
Quis neſcit mediæ me diſſecuiſſe parentis
Viſcera, & in media poſuiſſe incendia Roma?
Quis neſcit noſtro gladio cecidiſſe diſertos
Lucanum & Senecam truncatæ ſanguine venæ?
Quis Petrum & Paulum, quis totum pene Senatum
Ignorat crudi gladio cecidiſſe Neronis?
Quis tandem finis, miſeri quis terminus ævi?
Impatiens tandem nimiæ feritatis uterque
Sexus in arma ruit, puerique, virique, ſeneſque,
Quam populi rabiem metuens calidumque furorem
Occubui propriæ violento vulnere dextræ,
Sic Nero mortuus eſt. Sic omnia devorat ætas.

Sardanapalus.

Si quem mollicies turpiſque libidinis uſus,
Fœmineæque movet blanda enervatio formæ,
Audiat, ille ego ſum permollis Sardanapalus,
Qui quò liberius meretrices inter olentes
Et fœdas ſpurcaſque lupas corrumpere corpus,
Et votis poſſem illicitis parere jociſque,
Fœmineas ſumpſi tunicas parviſque labellis,
Fucatâ facie, comptis de more capillis,
Plenbs illecebris ſimulavi corpore geſtus.
Sed tandem hoc olidum cœpit brevis urna cadaver,

Omnia

Omnia sic pereunt; sic omnia devorat ætas.

Terra.

Nónne vides fili velut omnia conterat ætas?
Robusti pereunt, formosos accipit urna,
Docti abeunt, dites properant ad fata, Nerones
Occumbunt, lascivi obeunt, rapit omnia tempus.

Homo.

Quid faciam, castus si vixero, non ero salvus
Propterea, vivens si flevero, nihil mihi fletus
Proderit. Et vivens si risero, nihil mihi risus
Obfuerit. Nihil ergo nocet jucunda voluptas,
Quare quicquid erit corpus seu terra cinisve,
Seu vermis, vado ad choreas risusque, jocosque.

Terra.

Concludam, licet incertis obnoxia fatis
Corpora & in modicos cineres abitura, caducus
Et mortalis homo videat: tamen immemor hujus
Excidii semper sequitur sibi noxia, dixi.

TIC.

In hoc Dialogo introducuntur, *Tres Mundani, Mors, Natura, Damnatus, Peregrinus, Veritas, duo Dæmones, Caro, Vitium, Voluptas, Virtus.*

Primus mundanus incipit.

QUis Boreas spirat?

Secundus mundanus.

Quæ sibilat Aura?

Tertius mundanus.

Quis Eurus
Devolat?

Primus mundanus.

Unde venit Zephyrus?

Secun-

Secundus mundanus.
Quo pellitur Auſter?
Tertius mundanus.
Quâ Notus egreditur.
Primus mundanus.
Socii, Pæana canamus.
Secundus mundanus.
Vivamus ſocii.
Tertius mundanus.
Curas pellamus inanes.
Primus mundanus.
Nam quid profuerit vitam conſumere luctu?
Secundus mundanus.
Quid mœſtis animum curis cruciaſſe juvabit?
Tertius mundanus.
Quid lætis animis ſemper vixiſſe nocebit?
Primus mundanus.
Vita fugit.
Secundus mundanus.
Breve tempus abit.
Tertius mundanus.
Cita deperit hora,
Primus mundanus.
Nos rapimur.
Secundus mundanus.
Senſim morimur.
Tertius mundanus.
Mutamur in horas.
Primus mundanus.
Nunc juvenes.
Secundus mundanus.
Nunc decrepiti.
Tertius mundanus.
Cras morte perempti.
Primus mundanus.
Quid lacrymæ proſunt?

Secundus mundanus.

Quid curæ ?

Tertius mundanus.

Quid anxius angor ?

Primus mundanus.

Quid gemitus ?

Secundus mundanus.

Quid planctus atrox ?

Tertius mundanus.

Quid fletus & horror ?

Primus mundanus.

Cras forsan celeres torquebunt fata sagittas.

Secundus mundanus.

Cras subitæ forsan claudetur linea vitæ.

Tertius mundanus.

Cras omnes morbum forte incurremus atrocem.

Primus mundanus.

Si breve tempus abit,

Secundus mundanus.

Si mors inopina propinquat.

Tertius mundanus.

Si levis hora fugit.

Primus mundanus.

Si vita caduca recedit.

Secundus mundanus.

Si cadimus.

Tertius mundanus.

Tacitis si forte recedimus annis.

Primus mundanus.

Quid non lætamur ?

Secundus mundanus.

Quid amaris pectora curis
Rodimus ?

Tertius mundanus.

In tanto quid prodest vivere luctu ?

Primus mundanus.
Vivamus ſocii,
Secundus mundanus.
Curas pellamus inanes,
Tertius mundanus.
Lætemur.
Primus mundanus.
Fugit hora,
Secundus mundanus.
Dies perit,
Tertius mundanus.
Omne ſeneſcit.
Primus mundanus.
Ardua feſtivo pulſemus ſydera cantu.
Secundus mundanus.
Fatidico dignum cantemus Apolline carmen.
Tertius mundanus.
Ducamus volucres planta ſaliente choreas.
Primus mundanus.
Ducamus.
Secundus mundanus.
Placet hoc.
Tertius mundanus.
Cithara dic muſice carmen.
Primus mundanus.
Quid melius riſu?
Secundus mundanus.
Quid cantu ſuavius?
Tertius mundanus.
Aut quid
Saltidicis melius choreis?
Primus mundanus.
Quid ſuavius iſta
Ambroſia?
Secundus mundanus.
Læti canimus.

Ter-

Tertius mundanus.
Celebramus amores.
Primus mundanus.
Rejicimus curas.
Secundus mundanus.
Curamus gaudia.
Tertius mundanus.
Fletum pellimus.
Primus mundanus.
Ejicimus lacrymas.
Secundus mundanus.
Nos orgia Bacchi
Delectant.
Tertius mundanus.
Hilari exercemus gaudia plausis.
Primus mundanus.
Quid melius?
Secundus mundanus.
Quid candidius?
Tertius mundanus.
Quid suavius extat?
Primus mundanus.
Sobria quid nobis prodesset vita?
Secundus mundanus.
Quid inquam.
Arida virginitas?
Tertius mundanus.
Quid frons caperata?
Primus mundanus.
Quid horens
Arte supercilium?
Secundus mundanus.
Longa quid veste juvaret
Incedens gravitas?
Tertius mundanus.
Quid tanta modestia vultus?

Pri-

Primus mundanus.
Quid jejuna fames ſiccis contraria membris?
Secundus mundanus.
Quid vel Heracleti lacrymæ, Craſſique ſeveræ
Majeſtas?
Tertius mundanus.
Modico quid oluſcula vecta caniſtro?
Primus mundanus.
Nobis cuncta licent.
Secundus mundanus.
Nemo eſt qui mittere verbum
Audeat.
Tertius mundanus.
Obſequitur noſtris plebecula votis.
Primus mundanus.
Poſſumus aſſiduis populum vexare ttibutis.
Secundus mundanus.
Poſſumus antiquas veterum corrumpere leges.
Tertius mundanus.
Poſſumus atque novas imponere.
Primus mundanus.
Poſſumus omnes
Omnia.
Secundus mundanus.
Terrarum domini ſumus.
Tertius mundanus.
Omnia noſtro
Coguntur ſervire jugo.
Primus mundanus.
Si fortè ſeveræ
Rupero Juſtitiæ leges, quis mittere verbum
Audeat?
Secundus mundanus.
Et ſi fortè hominem jugulavero, quiſnam
Murmuret?

Ter-

Tertius mundanus.

Agricolæ modicos si extorsero nummos,
Quis contradicat?

Primus mundanus.

Puero si forsan adulter,
Quis verbum referat?

Secundus mundanus.

Calices si fortè deorum
Aurea si magnis simulachra extorsero templis,
Quis digitum mutet?

Tertius mundanus.

Quod si percussero clerum
Aut si presbyterum cultris jugulavero, quisnam
Arguet?

Primus mundanus.

Ad pœnam tetricus si forte senatus
Me vocet, aurilegis ingentia munera tandem
Consulibus dabo, prætori dabo, deinde tribuno,
Causidicosque datis faciam rauceſcere nummis.

Secundus mundanus.

Si mea sacrificus carpat peccata, silebit
Præbendam obtulero pinguem dum fortè latranti,
Præbendam, hoc uti coëgit penuria verbo.

Tertius mundanus.

Si populus nostræ feritati fortè resistat,
Accurrent properè famuli, qui mille sonantes
Incutient colaphos, & duro verbere plectent.

Primus mundanus.

Cum nobis scelerum sit tanta licentia.

Secundus mundanus.

Tanta
Libertas.

Tertius mundanus.

Tot opes.

Primus mundanus.

Veterum tot stemmata Regum.

Secun-

Secundus mundanus.
Cum nos formidet populus.
Tertius mundanus.
Plebecula adoret,
Primus mundanus.
Cuncta tremant,
Secundus mundanus.
Famuli timeant,
Tertius mundanus.
Et mundus honoret:
Primus mundanus.
Ducamus choreas.
Secundus mundanus.
Ludos Veneremque colamus.
Tertius mundanus.
Fatidico dignum cantemus Apolline carmen.
Mors.
O cœcas hominum mentes & operta tenebris
Pectora Cymmeriis, ô indigna corpora multi
Hellebori, & indigna Anticyras sorbere meracas!
Si vobis scelerum sit tanta licentia, tanta
Libertas, tot opes, veterum tot stemmata Regum:
Si vos formidet populus, plebecula adoret,
Cuncta tremant, famuli timeant, & mundus honoret,
Ducatis choreas, Venerem geniumque colatis.
O cœcum mortale genus, vos ne ultima terrent
Supplicia, & longæ tormenta severa gehennæ?
Primus mundanus.
Quæ virgo?
Secundus mundanus.
Tune illa nigri regina barathri
Persephone;
Tertius mundanus.
An Stygiis Proserpina cincta colubris
Eumenidum mater?

Mors.

Mors.

Mors ultima linea rerum.

Primus mundanus.

Nolumus esse tui memores.

Secundus mundanus.

Meminisse pigeret

Funeris.

Tertius mundanus.

Incertæ vana est meditatio mortis.

Primus mundanus.

Si breve tempus abit.

Secundus mundanus.

Si vita caduca recedit.

Tertius mundanus.

Si cadit hora.

Primus mundanus.

Dies abeunt.

Secundus mundanus.

Périt omne.

Tertius mundanus.

Venit mors.

Secundus mundanus.

Quidnam prodesset fati meminisse futuri?

Secundus mundanus.

Quidnam prodesset lachrymis consumere vitam?

Tertius mundanus.

Quidnam prodesset tantis incumbere curis?

Mors.

Si breve tempus abit, si vita caduca recedit,
Si cadit hora, dies abeunt, perit omne, venit mors;
Quidnam lethiferæ mortis meminisse nocebit?

Primus mundanus.

Possumus an lachrymis inopinum evadere fatum?

Secundus mundanus.

Possumus an lachrymis aliquid deprehendere lucri?

Tertius mundanus.

Possumus an tetrum plorando evadere funus?

Mors.

Non.

Primus mundanus.

Igitur præstat lætam consumere vitam
In risu & choreis, quam rumpere questubus auras

Mors.

Utilius fuerit vitæ meminisse futuræ.

Secundus mundanus.

Post mortem, vitam non credimus esse futuram.

Tertius mundanus.

Corporis atq; animæ morte esse putamus eandem.

Mors.

O cœcum mortale genus, vos ne ultima terrent
Supplicia, esse animæ mortem ne putatis eandem.
Corporis & subiti quod bullæ more cadentis
Deperit, & tenues subito vanescit in auras?

Primus mundanus.

Esto, aliam nostræ liceat succedere vitam,
Nos reges sumus.

Mors.

Ergo suis evadere sceptris
Rex poterit? plectunt eadem tormenta sepultos.

Secundus mundanus.

Nos dites sumus.

Mors.

Ergo suis evadere quenquam
Credibile est nummis? si multa pecunia dites
Eriperet, Stygias Crassus non isset in undas.

Tertius mundanus.

Formosi sumus.

Mors.

Ergo aliquos evadere forma
Creditis? at si forma hominem, candorque venusti
Corporis eriperet, pulcher superesset Julus,

Fati

Fata pepercissent Helenæ, Paridique superbo.

Primus mundanus.

Nos juvenes sumus.

Mors.

Ergo puer decedere acerbis
Non poterit satis?

Secundus mundanus.

Pulchro vestimur amictu.

Mors.

Ergo solus inops lacero vestitus amictu,
Occumbet fatis & morte peribit acerba?

Tertius mundanus.

Nutrimus lautis molliſſima corpora mensis.

Mors.

Ergo epulæ rediment hominem soluſque peribit
Jejunus pauper qui præbet oluſcula ventri?

Primus mundanus.

Nos fortes sumus.

Mors.

Ergo hominem tellure creatum
Corporeæ rediment vires, num Trojus Hector.
Num validus periit Trojæ populator Achilles?

Secundus mundanus.

Nos agiles sumus.

Mors.

Ergo agiles, ubi Volsca Camilla,
Quæ volucres poterat curſu prævertere ventos?

Tertius mundanus.

Nos hilares sumus.

Mors.

Ergo hilares fati esse supremi.
Propterea decet immemores, nigrique barathri?

Primus mundanus.

Esto procul meretrix.

Secundus mundanus.

Fugias rugosa virago.

Tertius mundanus.
Lena recede procul.
Primus mundanus.
Fugias Apotheca malorum.
Secundus mundanus.
Nolumus esse tui memores.
Tertius mundanus.
Meminisse pigeret
Interitus.
Primus mundanus.
Socii lætum Pæana canamus.
Secundus mundanus.
Cantibus argutis neglecta morte canamus.
Tertius mundanus.
Ducamus volucres planta saliente choreas.
Primus mundanus.
Ducamus.
Secundus mundanus.
Placet hoc.
Tertius mundanus.
Cythara dic musice carmen.
Mors.
Heu natura jaces, natura humana quiescis?
Surge supina.
Natura.
Quis est, qui me vocat?
Mors.
Ultima rerum
Linea, Mors.
Natura.
Túne illa ferox & dira virago,
Quæ gladio jugulas mortalia cuncta cruento?
Mors.
Illa ego sum.
Natura.
Quid vis?

Mo

Mors.

Tenero dormire cubili
Tune quieta potes?

Natura.

Luctus quæ cauſa recentis!

Mors.

Tu ne tuos natos veneri genioque vacantes
Inſpicis, & vano miſcentes ocia ludo?

Natura.

Quid natis oberit ludus, quid civa voluptas?
Quid veneres, quid lætitiæ, riſuſque jocique?

Mors.

Perdita quid memoras? volucrem dum clauſero vitam
Perpetuæ incurrent tormenta ſevera gehennæ.

Natura.

Credibile eſt aliquos Stygias deſcendere ad umbras?

Mors.

Stulta quid ignoras? mundi pars maxima nigros
Tendit ad inferni manes, ubi luctus & iræ
Et dolor & maleſuada fames & turpis egeſtas,
Pallenteſque habitant morbi, triſtiſque ſenectus.
Ipſa tuos omnes jugulavi cuſpide natos,
Sed paucos vidi ſupera ad convexa volantes.

Natura.

Tartareo nati ſed quas in carcere pœnas,
Captivi tolerant?

Mors.

Quas pœnas viſne doceri?
Horreſco, ſaliuntque comæ, & vox faucibus hæret
Non mihi ſi totidem linguis quot dicitur Argus
Gemmatis oculis Phariam ſervaſſe juvencam
Forte loqui dabitur, percurrere ſingula poſſem
Quod ne fortè putes vacui fantaſma cerebri,
Audi damnatum furioſa voce tonantem,
Audi quas patiur latebroſo in carcere pœnas.

Damnatus.

O dolor! ô rabies! ô ſtridor dentium; & ingens
Luctus, & inferni metuendus carceris horror!
Quas ego nunc patior pœnas! ô magna deorum
Numina, tormentis aliquas imponite metas.
Perpetua vultiſne animam torquere gehenna?
Vultis in his hominem ſemper retinere cavernis?
O utinam cum me materni corporis alvus
Protulit, inſanæ datus eſſem præda leænæ,
Aut tenerum rabida ſuxiſſet fauce cruorem
Tigris & internas lingua penetrante medullas.
Siccine natus eram, tenueſque emiſſus in auras,
Ut tantam rabiem paterer? clementia divum
Talis erat, taline deus quem ſecula cuncta,
Eſſe pium referunt? ô qua pietate gementes
Inſpicit, æternæ patimur contagia peſtis,
Hic incredibilis dolor eſt, hic maximus horror,
Nec tamen afflictos cœleſtia numina cernunt.
O injuſte Deus quid feci? quidve cathenis
Tam rigidis dignum vita remanente peregi?
Si genio interdum, ludis venerique vacavi,
Propterea æternæ tolerabo incendia flammæ?
Hæc ne tua eſt pietas Deus impie? væ tibi mater:
Væ tibi cui natum talem peperiſſe ſub auras
Contigit: ô rabies, ô ſtridor dentium & ingens
Luctus, & inferni metuendus carceris horror!

Natura.

Dic fili quid habes?

Damnatus.

O quam crudele flagellum
Perfero!

Natura.

Quid ſentis, tua ſum Natura creatrix,
Impoſitura tuo requiem fortaſſe dolori.

Damnatus.

Dic natura, tuis natis ne crimine corpus.

Com-

Commaculent, caveantque istas descendere ad um-
Hic ubi perpetua caligine fœtidus aër (bras,
Pallet, & obscuris horrescunt cuncta tenebris.
O dolor! ô rabies! ô stridor dentium, & ingens
Luctus, & inferni metuendus carceris horror!

Natura.

Quid pateris fili?

Damnatus.

Flammis crepitantibus uror,
Nunc mihi tartarei corrodunt membra colubri,
Perfero nunc vehemens frigus, nunc verbere duro,
Mille cicatrices mutilatis perfero venis.

Natura.

Solus es, inferno qui detineare sub orco?

Damnatus.

Solus? dii quid ais, vix mille in tartara lapsis
Unus adit cœlum.

Natura.

Quos ergo detinet orcus?

Damnatus.

Tot Reges populum qui corrosere tributis,
Tot quoque pontifices summi, quibus omnia Romæ
Sacra fuere prius venalia, totque tribunos,
Totque senatores, quos mundi cœca libido
Frangere justitiam, & corrumpere Sacra coëgit,
Tot præceptores, qui diro verbere quondam
Discipulos rigidis haud afflixere flagellis.
Vix referam paucis, tot millia captivorum
Spirituum nigris languent detenta cavernis,
Ut nullis numerum fas sit comprendere verbis.
Filiolos Natura mone, descendere ad istas
Præcaveant tenebras, ubi nulla est meta dolorum.

Mors.

Audisti Natura?

Natura.

Horret formidine pectus,

Tartara dum propriis completa intelligo natis:
Mors si consilio forsan cognoveris ullo,
Dic quid agam?

Mors.

Mittas peregrinum voce potentem,
Qui fines Asiæ, qui nigros visitet Afros,
Europamque petat, qui rauco fulmine vocis
Peccantes carpat populos, & semina plantet
Virtutum.

Natura.

Peregrine?

Peregrinus.

Adsum.

Natura.

Percurre supremos
Oceani fines, quâ Sol utrumque recurrens
Aspicit Oceanum.

Peregrinus.

Faciam Natura.

Natura.

Cadentes
Corripias populos, vitiorum destrue germen,
Semina virtutum plantes.

Peregrinus.

Natura recedo.

Natura.

Siccine tartareis Herebi mea pignora claustris
Lugebunt captiva, nigraque prementur abysso?
Siccine natorum mihi gloria nulla futura est?

Peregrinus.

Jam redeo, Natura parens, vidi ultima terræ
Climata, & Europæ populos, Phœbique cadentis.

Natura.

At quæ conditio rerum?

Peregrinus.

Malè cuncta geruntur.

Natu-

Natura.

Quid faciunt Reges?

Peregrinus.

Quid agunt dixisse noceret.

Natura.

Pontifices?

Peregrinus.

Profugam Petri discurrere navim
Permittunt

Natura.

Tetrici regimen sed quale Senatus?

Peregrinus.

Frangitur aut precibus, vel amico rumpitur auro.

Natura.

Doctores quid agunt?

Peregrinus.

Tendunt sua retia templis
Ut prædam arripiant.

Natura.

Patronis quæ modo vita
Clamosis?

Peregrinus.

Scabra raucedine sæpè laborant,
Amissam reparet nisi chara pecunia vocem.

Natura.

Et quæ Phœbeos delectat vita Poëtas?

Peregrinus.

Mille sibi voces & nomina mille requirunt.

Natura.

Vidisti Ausoniam?

Peregrinus.

Vidi.

Natura.

Quâ vivitur illic
Conditione?

Peregrinus.

Malæ Veneris ſunt omnia plena:
Et gravida eſt bello, plena eſt civilibus armis.

Natura.

Vidiſti Hiſpanos?

Peregrinus.

Illos jactantia nutrit.

Natura.

Intraſti toto diviſos orbe Britannos?

Peregrinus.

Gens tacitis prægnans arcanis ardua tentans
Edita tartareis mihi creditur eſſe tenebris,
Ut paucis referam verbis; nunc rara bonarum
Copia virtutum, vitiorum maxima creſcit.

Natura.

Cur non carpſiſti?

Peregrinus.

Carpſi, ſed littus aravi.

Natura. (tantæ

Summe Deûm quid agam? vel quo medicamine
Occurram peſti, natos deſcendere ad umbras
Perferam, & aſſidui lachrymoſa ergaſtula fletus?
Conſule Mors quid agam?

Mors.

Rigidum tibi quære flagellum
Juſtitiæ, quæ mox reprimat peccata malorum.

Natura.

Conſiliis parebo tuis, æquiſſima ſurge
Juſtitia, ut vinclis & duro carcere natos
Crimine pollutos reprimas, germana reſurgas.
Obdormis, conſurge Soror regeſque ducesque
Quos ſcelerum ducit vitioſa licentia, carpas.
Sopita es? conſurge Soror natoſque ruentes
In barathrum, ſcutica revoces duriſque flagellis.
Juſtitia exurgas, dormit vel conticet audi?
Juſtitia, exiguum natis concede juvamen.

Mortua

Mortua decumbit, Mors conſule quid ſit agendum,
Juſtitia obdormit, vel mortua tota recumbit.

Mors.

Sacra parens tibi nunc ſublimi voce petenda eſt.

Natura.

Matrona, alma parens populo ſuccurre cadenti,
Natura natos releves, & crimina carpas.
Harpocratem ſimulat, ſurgat ſacra anchora divum,
Argue natorum maculas & facta meorum,
Ne tantas animas nigro permitte barathro.
Hæc matrona ſilet: Mors conſule quid ſit agendum.

Mors.

Scruteris quid agat, queis ſit incluſa cavernis.

Natura.

Conſiliis parebo tuis: germana quieſcis?

Veritas.

O caput, ô dentes, ô brachia, crura, cerebrum
Frons, oculi, nares, pulmo, jecur, occiput, aures,
Lingua, oculi, fibræ, mentumq; manuſque pedeſq;
O quantus dolor eſt membris!

Natura.

Quis te dolor angit?

Veritas.

Tantus, ut incertæ videar jam proxima morti,
Jam morior, Natura parens mihi quære cadenti
Conſultorem aliquem.

Natura.

Quem quæram?

Veritas.

Neſcio, Reges.

Natura.

Non venient.

Veritas.

Accerſe Duces,

Natura.

Odioſa ſupremis

Sola.

Sola est principibus.

Veritas.

Videas an forsitan ullus
Mytrophorus veniat præsul.

Natura.

Nullum est modo veri
Præsulibus studium.

Veritas.

Perquiras si quis heremi
Cultor, jejunis qui rodat oluscula fibris,
Auditor meus esse velit.

Natura.

Reperire nequirem,
Rara avis in terris.

Veritas.

Videas si miles acerbus
Extiterit, qui me dignetur forte sateri.

Natura.

Nec tu militibus grata es.

Veritas.

Passim ergo requira,
Si quis verbi potens satagat me forte sateri.

Natura.

Sacra parens reticet.

Veritas.

Tetrica gravitate senatum
Inquiras.

Natura.

Bibulam numerare videbor arenam.
Nunc data purpureum frangentia dona senatum
Impediunt, ne vera canant, ne justa loquantur.

Veritas.

Inconfessa igitur morior.

Natura

Moriaris oportet:

Veritas

Veritas.
Ergo vale Natura,
Natura.
Vale germana.
Veritas.
Recedo
Ad Superos, nulli moriens confessa recedo.
Primus dæmon.
Frater surge.
Secundus dæmon.
Quid est frater?
Primus dæmon.
Natura relicta est
Unica, nec potuit modicum reperire juvamen,
Quo miseris possit vitio interdicere natis;
Secundus dæmon.
Nunc capiendorum nobis datur ampla potestas
Spirituum.
Primus dæmon.
Cunctas animas deglubere tutò
Possumus, impediet nemo.
Secundus dæmon.
Cur nemo reluctans
Obstiterit?
Primus dæmon.
Muta est nunc anchora sacra, quiescit
Justitia, & nullo punit peccata flagello,
Veritas inconfessa abiit, nemo est qui vera fateri
Audeat, imperio pectimur.
Secundus dæmon.
Reges sumus.
Primus dæmon.
Ergo
Omnia rodamus.
Secundus dæmon.
Deglubere cuncta necesse est.

Primus dæmon.

Nitamur saturos animabus reddere ventros.

Secundus dæmon.

Venatum ire decet.

Primus dæmon.

Licet ergo vocare ministros.

Secundus dæmon.

Surge caro.

Primus dæmon.

Vitium surgas.

Secundus dæmon.

Exurge voluptas.

Caro.

Surgimus.

Vitium.

Obsequimur votis.

Voluptas.

Parere magistris
Venimus.

Caro.

Ipsorum mandatæ capessere fas est.

Vitium.

Paremus.

Voluptas.

Me morigeram decet esse ministram.

Primus dæmon.

Ite igitur, latis extendite retia campis,
Captivasque animas firma retinere catena.

Secundus dæmon.

Ita alacres, volucri feriatis quenque sagitta,
Obstiterit nemo.

Primus dæmon.

Vacuo jejunia ventre,
Perferimus.

Secundus dæmon.

Volumus lautis accumbere mensis.

Pri-

Primus dæmon.

Ite igitur.

Secundus dæmon.

Dominis suavem perquirete pastum.

Caro.

Ad fines Asiæ propero.

Vitium.

Proficiscor ad Afros.

Voluptas.

Europæ ergo animas profugas in retiâ ducam.

Primus dæmon.

Interea hic aliquam prædam germane petamus.

Secundus dæmon.

Jam gaudere potest Stygiæ regina catervæ.

Primus dæmon.

In nigris gestire queunt cacodæmones antris.

Secundus dæmon:

Omnia servibunt sceleri virtute relicta.

Primus dæmon.

Nos reges erimus.

Secundus dæmon.

Nobis famulabitur orbis.

Primus dæmon.

Frater, ad est gravium numerosa caterva virorum,
Visamus quid agant.

Secundus dæmon.

Arrectis auribus astant.

Primus dæmon.

Quæramus si forte dapes, si vino superfint.

Secundus dæmon.

Quæramus.

Primus dæmon.

Salvete patres.

Secundus dæmon.

Salvete Catones.

Primus dæmon.

Carceris inferni vos curia tota ſalutat.

Secundus dæmon.

Venimus ad veſtræ convivia dulcia menſæ.

Primus dæmon.

Venimus ut poti paſtum cumulemus Averno.

Secundus dæmon.

Manibus infernis rabidum diuturna furorem
Suſcitat eſuries.

Primus dæmon.

Cruciat triduana magiſtrum
Jam Plutona fames.

Secundus dæmon.

Jejuna Proſerpina languet
Eſurie.

Primus dæmon.

Noſtris epulas onerate caniſtris.

Secundus dæmon.

Reliquias ſaturi noſtro concedite ventri.

Primus dæmon.

Implete hos colathos epulis.

Secundus dæmon.

Onerate caniſtrum.

Primus dæmon.

Depreſſos inclino humeros.

Secundus dæmon.

Ego deprimo corpus.

Caro.

Rectores properate.

Vitium.

Alacres incumbite menſis.

Voluptas.

Afferimus paſtum.

Caro.

Majori inſiſtere prædæ
Non licet.

Vitium

Vitium.

Afferimus quicquid jejunus Avernus
Poſtulat.

Voluptas.

Afferimus quicquid Proſerpina quærit.

Primus dæmon.

Heus germane veni.

Secundus dæmon.

Quid quæris ?

Primus dæmon.

Adeſſe miniſtros
Anne vides ?

Secundus dæmon.

Video.

Primus dæmon.

Saturando incumbere ventri
Expedit.

Secundus dæmon.

Infernis reliquas portabimus eſcas
Dæmonibus.

Primus dæmon.

Jam quid referent, cognoſcere fas eſt.

Secundus dæmon.

Nunc curare licet, quos iſti in noſtra votarint
Jura.

Primus dæmon.

Caro.

Caro.

Princeps.

Primus dæmon.

Traxiſti in retia multos
Mortales ?

Caro.

Numerus bibulis non major arenis,
Illecebris multos pellexi in vincula reges.

Et

Et veneris perferre jugum flammaſque coëgi,
Tabidaque internis contagia ſerpere venis.

Secundus dæmon.

Tu vitium nullâſne animas in retiâ duxti?

Vitium.

Non tot penſilibus foliis Dodonia quercus,
Totque hortis violæ, vel grato vere tot herbæ,
Infauſtas animas quot ego hæc in vinculâ traxi.
Nullus homo eſt, aliqua quē non maculavero noxa,
Sit rex, ſit conſul, ſit parvi cultor agelli,
Sit nummis opulens, ſit inops.

Primus dæmon.

Tu dira voluptas,
Feciſtine aliquos ſcelerum ſuccumbere turpi
Servitio?

Voluptas.

Non tot gravidis oneratur ariſtis
Terra ferax æſtate nova, non tot mare piſces
Enutrit, non tot ſtellis depingitur æther,
Non tot fœcundæ granis onerantur ariſtæ,
Quot ſecreta vagis animabus vincla tetendi.
Rarus homo cui non aliquas fabricavero technas,
Quemque meis pedicis non irretivero.

Caro.

Matris
Tela Dionææ laſcivaque ſemina paſſim
Effudi.

Vitium.

Duce me pompoſa ſuperbia multos
Inflavit.

Voluptas.

Per me durum pertæſa laborem
Segnicies multos pigro torpere veterno
Fecit, & in molli tempus conſumere pluma.

Caro.

Omnibus injeci flammas.

Vitium.

Mea tela per omnes.
Europæ atque Asiæ populos, perque Africa regna
Contorsi.

Voluptas.

Novere meæ plerique sagittæ
Quas habeant vires,

Caro.

Pleno cratere venenum
Sæpe ministravi ducibus.

Vitium.

Peccata latentes
Inter eremicolas sparsi.

Voluptas.

Succumbere ludis
Venales feci genio stimulante puellas.

Caro.

Omnia percussi jaculis.

Vitium.

Ego cuncta veneno
Perfudi.

Voluptas.

Nihil intactum, levibusque reliqui
Illæsum jaculis.

Caro.

Passim mea spicula torsi.

Vitium.

Quemque meis rapui.

Voluptas.

Mea sub juga cuncta vocavi.

Caro.

Rectores properè lautis accumbite mensis.

Vitium,

Pastus adest.

Voluptas.

Epulis stomachum replete labentem.

Caro

Caro.

Immundas purgate manus.

Vitium.

Jam defero pelvim.

Voluptas.

Ipsa feram tonsis igitur mantilia villis.

Primus dæmon.

Frater terge.

Secundus dæmon.

Absit.

Primus dæmon.

Quid ni?

Secundus dæmon.

Tu major honore.

Primus dæmon.

Quid tum?

Secundus dæmon.

Tu major, tibi me servire liceret.

Primus dæmon.

Perge precor.

Secundus dæmon.

Non non, prior incipe.

Primus dæmon.

Gloria parva est,
Incipiam germane, lava.

Secundus dæmon.

Citò lavero frater.

Primus dæmon.

Nunc reliquas afferte dapes.

Secundus dæmon.

Afferte cerebrum
Præpinguis monachi, qui relligionis honorem
Spreverit.

Caro.

Afferimus, rabido consumite morsu.

Vitium

Vitium.

Sacrifici elixas doctoris rodite carnes,
Ocia qui tenero exercens ignava cubili
Torpuit, & sacri non fudit semina verbi.

Primus dæmon.

O quàm dulce epulum frater.

Secundus dæmon.

Nil corpore pigro
Doctorum melius.

Voluptas.

Mammas deglubite lenæ,
Ignaros juvenes tacita quæ fraude fefellit.

Caro.

Has insanorum costas deglubite regum,
Qui miserum exactis populum afflixere tributis.

Vitium.

Vultis Pontificis carnes, qui de grege lanam
Roserit, & nulla servarit ovilia cura?

Primus dæmon.

Da volumus, frater comedas.

Secundus dæmon.

Indulgeo ventri
Plus satis.

Voluptas.

Anne avido vultis consumere morsu,
Hos præceptores modicis qui sæpe flagellas.
Corpora læserunt juvenum?

Primus dæmon.

Des hanc mihi prædam,
Tartareæ reginæ domus Proserpina quærit.

Secundus dæmon.

Estne senatoris tibi pulmo aut consulis, auro
Corrupti?

Caro.

Teneas, tibi pinguem præparo morsum.

Vitium

Vitium.

Roditæ laſcivæ meretricis crura, pedeſque,
Quæ toties ſe proſtituit, corpuſque ſubactum
Venale exhibuit nummis.

Voluptas.

Deglubite rauci
Linguam hanc cauſidici.

Caro.

Jecur hoc mordete patroni.

Vitium.

Præſidis has fibras & pinguia crura voretis.

Voluptas.

Hæc eſt Abbatis pigri caro.

Primus dæmon.

Trade voluptas.

Caro.

Hæc mercatoris ſunt crura pedeſque doloſi,
Rodite Ruricolas ignaros ſæpè feſellit
Mercurio ſimilis.

Vitium.

Quorundam abſumite fibras,
Qui Curios ſimulant & Bacchanalia vivunt.

Voluptas.

Præſulis hic pes eſt, quem nil niſi turba latrantum
Oblectare canum, nil præter pigra ſolebat
Ocia.

Secundus dæmon.

Quid memoras frater?

Primus dæmon.

Lautiſſima nobis
Eſca datur.

Secundus dæmon.

Saturi vix perfero pondera ventris.

Primus dæmon.

Et mihi turgidus eſt venter.

Se-

Secundus dæmon.

Surgamus eundum eſt.
Jejuno quicquid reliquum eſt portemus Averno.

Secundus dæmon.

Tu caro quod ſupereſt noſtris impone caniſtris.

Virtus.

Siccine tartareo miſſi cacodæmones antro
Omnia deglubent? modicum mihi tradite paſtum
Mortales, cruciat jejunum languida ventrem
E uries.

Secundus dæmon.

Vitium, quænam hæc rugoſa virago?

Vitium.

Virtus.

Primus dæmon.

Quid quærit?

Voluptas.

Paſtum: ſed littus arabit,
Nil erit in terris manibus quod carpere poſſit.

Virtus

Siccine mortales omnes deglubet abyſſus?
Sic jejuna famem patiar? Sic ibit ad umbras
Quicquid ſumma parens rerum Natura creavit?
Nulla igitur dabitur ſpacioſæ portio terræ
Cælitibus, ſic cuncta rapax abſumet abyſſus?

Secundus dæmon.

Hanc germane licet meretricem expellere terris.
Hæc adimet nobis animas.

Caro.

Abſiſte moveri.

Vitium.

Non niſi perpetuo verborum fulmine venas
Ruperit, inveniet quidquam,

Voluptas.

Jejuna recedet.

Virtus

Virtus.

O gentem ingratam! ſummi vos ætheris author
Virtutiſque pater magnâ bonitate creavit,
Nil tamen eſuriem patienti tradere natæ
Vultis: erit ne igitur latranti totus Averno
Mundus & ad nigros deſcendent omnia manes?
Virtute ſaltem modicum mihi tradite paſtum,
Sacrifici donate epulum, ſurdis cano: Reges
Virtutem foveas, non audit: maxime conſul.
Si quis es ætherei, quem tangat gloria cœli,
Da modicas epulas quæſo mihi, nemo miniſtrat.
Omnis homo modicum virtuti porrige fruſtum,
Omnis homo paſtum virtuti denegat: ergo
Cùm mihi nemo epulas, paſtú mihi nemo miniſtret
Auſteræ mœrore famis confecta recedo.

Primus dæmon.

Vadit ad exilium virtus.

Secundus dæmon.

Inhonora quieſcit
Juſtitia.

Primus dæmon.

Ætheros tenet inconfeſſa Penates
Veritas.

Secundus dæmon.

Pagina ſacra ſilet.

Primus dæmon.

Mundi nos ergo tenemus
Imperium.

Secundus dæmon.

Noſtras tolerabunt omnia leges.

Primus dæmon.

Cras ergo celerem de te natura triumphum
Ducemus.

Secundus dæmon.

Cras adveniet rex maximus orci,
Qui te Lemniacis ducat per colla catenis.

Primus dæmon.

Interea saturo jucundas ventre choreas
Ducamus.

Secundus dæmon.

Placet hoc, cithara dic musice carmen.

Natura.

Cras nisi mens melior modicũ mihi forte juvamen
Attulerit, de me celebrem rex ille triumphum
Accipiet, qui tartareo dominatur Averno:
Conandum est igitur remis velisque jacentem
Justitiam æthereas iterum revocare sub auras,
Pascere virtutes, inconfessamque fateri,
Amissamque iterum tibi pagina sacra loquelam
Reddere, vel nigras populus descendet ad umbras.
Sic patres brevibus verbis concludo, Valete.

FINIS.

In hoc Dialogo Argumentum præstat siniſtra Dionysii Junioris conditio, qui quum Syracusis principaretur, multis amicis & parasitis fumos inanes venditantibus, & aures verbis divitantibus stipatus incedebat: ubi autem novercante fortunâ, ab equis (quod dicitur) ad asinos dejectus, & Corinthi gregarius ludimagister factus exulavit, eorum nemo repertus est qui dominum fatis iniquis adactum juvare, aut in exilium comitari voluerit. In hoc itidem actu, introducuntur adulatores duo, qui glorioſum divitem miris præconiis efferent & lenocinabuntur, cùm cœlitibus fœliciorem prædicabunt, ad ejus nutum omnia facient. Ubi au-

tem dissuadente ratione, voluptati, quæ hominem ipsum in prosperitate maximè titillat, sese dederit, & ab eâ divitiis & vestimentis spoliatus fuerit, amicos invocabit, invocati conticebunt, ac petenti suppetias denegabunt. Quinetiam ignotum sibi fingent, cujus prius famulos sese dicebant infimos. Sic fiet conclusio, Amicum in adversis ut aurum in fornace probari.

Primus adulator.

SI possem Boreæ stridentis tollere pennas,
Eriperem, somnum domino ne fortè jacenti
Excuteret.

Secundus adulator.

Zephyris si possem tollere flatum,
Eriperem, ne fortè caput crinesque jacentis
Principis excuteret.

Primus adulator.

Populi si pellere murmur
Fas esset, facerem tacitum mussare theatrum.

Secundus adulator.

Si verbosorum linguas truncare liceret,
Truncarem, ne fortè jacens somnoque sepultus
Surgeret è stratis dominus.

Primus adulator.

Cohibite labellum,
Rex dormit.

Secundus adulator.

Dormit, finitote quiescere regem,
Rex dormit.

Primus adulator.

Capiti pulvinar subdere fas est,

Incum-

Incumbens humeris ne cervix blanda gravetur,
Neve fatigentur venæ.

Secundus adulator.

Suppone. Sed audi,
Præcaveas tacitum manibus turbare ſoporem.

Primus adulator.

Dormit adhuc.

Secundus adulator.

Satis eſt.

Primus adulator.

Felicibus votis
Suſcipiat.

Secundus adulator.

Pylii Deus illi Neſtoris annos
Conferat.

Primus adulator.

Aſtriloquæ videas numeroſa Sibyllæ
Tempora.

Secundus adulator.

Sit voti compos.

Primus adulator.

Mendacia verbo
Deſuerint, rex eſt dignus cui ſyderis aula
Aſſurgat.

Secundus adulator.

Dignus ſuperis accumbere menſis.

Primus adulator.

Et Saturnigenæ Junonis adeſſe cubili.

Secundus adulator.

Dignus adeſſe Jovi.

Primus adulator.

Dignus quem præferat æther
Cœligenis.

Secundus adulator.

Dignus pariter cui victima pinguis
Decidat ante focos.

Primus adulator.
Dignus quem terra ſalutet.
Secundus adulator.
Et populi recolant.
Primus adulator.
Fragilis quem mundus adoret.
Secundus adulator.
Cui diſtillantis dives Panchaja myrrhæ
Dona ferat.
Primus adulator.
Nam quid melius, vel ſuavius unquam
Reperies?
Secundus adulator.
Quid dulce magis?
Primus adulator.
Quid corpore pulchro
Lucidius?
Secundus adulator.
Quid mollicula cervice videtur
Mitius?
Primus adulator.
Et tenero quid blandius ore repertum;
Secundus adulator.
Quid digitis mage compoſitum?
Primus adulator.
Quid pulchrius ipſis
Unguibus?
Secundus adulator.
Auratis quid pulchrius inde capillis
Eſſe poteſt?
Primus adulator.
Non talis erat ſpecioſa venuſtas
Palladi Cecropiæ.
Secundus adulator.
Non talis forma ſuperbæ
Tyndaridis.

Primus

Primus adulator
Non talis erat Bryſeis Achilli.
Secundus adulator.
Non talis puer Iliacus.
Primus adulator.
Non candida Thisbe.
Secundus adulator.
Si ridet, cogit lapides emittere riſum.
Primus adulator.
Dum cantat, remorantur aves.
Secundus adulator.
Philomela quieſcit.
Primus adulator.
Pan filet.
Secundus adulator.
Et citharam refugit Lesbous Arion.
Primus adulator.
Dulcia formoſæ veniunt ad cantica Nymphæ.
Secundus adulator.
Dulcia & auritæ veniunt poſt carmina ſylvæ.
Primus adulator.
Si ſalit, innumeras motare cacumina quercus
Conſpiceres, rapidumq; Jovis contemnere fulmen.
Secundus adulator.
Si mittat lachrymas, lacrymoſæ ſaucia Nymphæ
Pectora contundunt.
Primus adulator.
Si dormit, viſcera blandus
Intima ſomniculus lenit, curaſque doloreſque
Ejicit, & tacitis infundit Morphea venis.
Secundus adulator.
Eſt Deus.
Primus adulator.
Imò Diis major.
Secundus adulator.
Privatus Apollo

Ambrosia Hæmonii duxit pecuaria Regis,
Atque tuis Amphryse sitim restinxit in undis.
Rex noster servile jugum non pertulit.

Primus adulator.

Ergo
Est superis major.

Secundus adulator.

Majorem quisque fatetur.

Primus adulator.

Quid dicis Pylades?

Secundus adulator.

Tacito sermone loquaris.

Primus adulator.

An dormit?

Secundus adulator.

Non, non.

Primus adulator.

Si dormit, littus aramus.

Secundus adulator.

Si dormit, nihilum nostræ præconia linguæ
Profuerint.

Primus adulator.

Igitur propius pergamus ad aures,
Ut, si dormierit, surgat, stratisque supinum
Eripiat corpus, ne quicquid dicimus, Auster
Sorbeat, & vacuum diverberet aëra sermo.

Author.

Auditor, si pro aliquantula, vel murmuris vel confabulationis interruptione liceat, istuc aures paulisper diverte, propiusq; considera quanta sit adulatorum solertia, quàm solers astutia, qui quos vel præsentes esse vel vigilantes dominos noverunt, dormientes vel absentes fingunt, quo facilius illis adulentur, seq; illorum amantissimos esse persuadeant.

Secundus adulator.

Et quis summe Deum, motare sedilia nostri
Princi-

Principis eſt audax?

Primus adulator.

Quis amicum rumpere ſomnum?

Secundus adulator.

Scire decet.

Primus adulator.

Noſtra facta hæc injuria Regi?

Secundus adulator.

Teſtor Avernales umbras, Erebumque Chaoſque,
Saturnum & metuenda trinominis ora Dianæ,
Si quis compulſet Regem, atque agnovero, væ, væ,
Væ tibi quiſquis eris, repeto.

Primus adulator.

Propius decet iſtud
Inſpexiſſe.

Secundus adulator.

Mori cuperem pro Principe tanto.

Primus adulator.

Principe pro tanto mihi mors jucunda veniret.

Secundus adulator.

Hunc ſummo præferre Jovi reliquiſque Deorum
Non dubitem.

Primus adulator.

Mihi ſtat propriis mage charus ocellis.

Secundus adulator.

Hunc amo plus vitâ.

Primus adulator.

Propriis mihi charior extat
Viſceribus.

Secundus adulator.

Somnum ſimulat.

Primus adulator.

Simulare ſciebam.

Secundus adulator.

Pergamus, nil verba nocent.

Primus adulator.

Hunc ipſe medullis
Præfero.

Secundus adulator.

Tartareas ſi mandet, abibo ſub umbras.

Dives glorioſus.

Quiſnam, dum ſomnum capio ſermonibus iſtis
Obloquitur ?

Primus adulator.

Salve magnorum ſumme Deorum
Jupiter.

Dives glorioſus.

Eſſe Jovem cenſes ?

Secundus adulator.

Quin, & Jove credo
Majorem.

Dives glorioſus.

Quid ita ?

Primus adulator.

Æternis tibi gloria major
Numinibus

Dives glorioſus.

Noſti, quæ ſit mihi gloria ?

Secundus adulator.

Novi.

Primus adulator.

Vis aliquid princeps ?

Secundus adulator.

Cœlum ſi juſſeris, ibo.

Primus adulator.

Ire ſub antroſas Erebi, ſi juſſeris, umbras,
Parebo properè.

Secundus adulator.

Quantum coma fundit odorem !

Primus adulator.

O coma divinis fragrantior undique ſuccis
Herba-

Herbarum!

Secundus adulator.

Quid ais Pylades?

Primus adulator.

Violis mihi visa est
Suavior.

Secundus adulator.

Egregiæ quales in corpore dotes!

Primus adulator.

Pulverulenta chlamys quantas habet undique plu-
(mas!

Dives glorioſus.

Felix, cui licuit tales habuiſſe miniſtros.

Secundus adulator.

Inſpice rex, veſtis maculata eſt pulvere.

Dives glorioſus.

Totum
Exeute.

Secundus adulator.

Parebo.

Primus adulator.

Tibi calceus undique cœno
Pollutus.

Secundus adulator.

Purgare decet.

Dives glorioſus.

Purgetis uterque.

Primus adulator.

Unde ruber faciem maculat cruor?

Dives glorioſus.

Ablue ſi quid
Comperies.

Primus adulator.

Quid ais Pylades de principe tanto?

Secundus adulator.

Fortunata puto fœcundæ viſcera matris,
Cui tam divino licuit ſoboleſcere partu.

Primus adulator.

Rex quid ais?

Dives glorioſus.

Mihi parta Deûm jam fauſta videtur
Proſperitas. famulis ſi ſemper talibus uti
Contigerit, prognatus ero felicibus annis.

Secundus adulator.

Rex quid ais?

Dives glorioſus.

Sitio.

Primus adulator.

Sitio pariter.

Dives glorioſus.

Mihi corpus
Æſtuat.

Secundus adulator.

Et Caleo.

Dives glorioſus.

Mihi pes gelidiſſimus alget.

Primus adulator.

Alget uterque mihi.

Dives glorioſus.

Geminis lux Solis ocellis
Eſt odioſa.

Secundus adulator.

Jubar Phœbi ſpectare nequirem.

Dives glorioſus.

Neſcio quid patior, ſed vini guſtus amarus
Eſt linguæ

Primus adulator.

Vini pariter mihi guſtus amarus.

Dives glorioſus.

Altera jam noſtris acceſſit paſſio membris:
Non ſitio.

Primus adulator.

Nec ego ſitio.

Di-

Dives glorioſus.

Nullum ipſe calorem
Sentio.

Secundus adulator.

Non caleo.

Dives glorioſus.

Nec pes mihi frigidus extat.

Primus adulator.

Nec mihi frigidus eſt.

Dives glorioſus.

Phœbus delectat ocellos.

Secundus adulator.

Lux eſt grata mihi.

Dives glorioſus.

Nectar mihi dulce videtur.

Primus adulator.

Comperio vinum ſucco jucundius omni.

Author.

Jam ut palàm eſt parasitis edacibus, nihil magis ſubdolum, nihil magis verſutum putes, qui ut dominis gratulentur, eorumq; gratiam ſibi devinciant, nutui, votis, ac deſideriis eorundem acquieſcunt. Ita ſi quid moleſtum illis fuerit, morte ſibi magis odioſum fingant. Sed ſi quid illos delectet, id vita ſibi jucundius comminiſcantur Clyſophum, & Cariſophum imitantes quorum ille claudum ſe fingebat, quòd Philippus Macedo crus fractum haberet: hic ridebat, quum Dionyſium procul ridentem cum amicis inſpiceret.

Voluptas.

Salve Rex.

Dives glorioſus.

Salve pariter jucunda voluptas.

Voluptas.

Rex quid ais?

Dives glorioſus.

Fidos inter delector amicos.

Voluptas.

Nónne tibi magna eſt opulentia, nónne metallis
Scrinia plena tument ?

Dives glorioſus.

Magna eſt opulentia, nummis
Arca tumet.

Voluptas.

Et tu vituli de more marini
Indormis, tacitos perdens inglorius annos.

Dives glorioſus.

Quid facerem ?

Voluptas.

Quid ? ama, lude & lætare, ſuperbi,
Indulge choreis, Veneri famulare, puellas
Dilige, nutrito meretrices, turpe lupanar
Inſequere, & lætis petulans incumbito ludis.
Si vacuum deges curis & fletibus ævum.

Dives glorioſus.

Non decet his annos fragiles conſumere ludis.

Voluptas.

Non decet : O vacuum ſenſu & ratione cerebrum !
Sed cur non deceat ?

Dives glorioſus.

Mortis ſuprema timenda eſt
Linea.

Voluptas.

Dii quid ais : cur linea ſumma timenda eſt ?

Dives glorioſus.

Tartareæ ſaltem metuenda eſt pœna gehennæ.

Voluptas.

Deterius ſemper loqueris. Quid pœna timenda eſt?
Nullum adeò deforme poteſt dirumque patrari
Flagitium, quod non ſuperet clementia Chriſti,
Num peccatrici Mariæ, Pauloque pepercit ?

Fur-

Furtivum nunquid venia donasse latronem
Creditur, insano dementior esse videris?
Sunt tibi divitiæ, sunt auri larga talenta,
Nummorumque opulens myrmecia: denique fidis
Quod melius duco, semper stiparis amicis.
Quid gelida raperis formidine? parce timori,
Lude, jocare, soli genio famulare, superbi,
Cùm potis es, requiesce, canas, incumbe choreis,
Congestas cui vis tot opes dimittere? Corvis?
Quid tibi post mortem tot opes, aurique talenta
Profuerint? nihil: ergo vetus formido recedat.

Dives glorioſus.

Et prius arrectos fas consuluisse ministros.

Voluptas.

Consule.

Dives glorioſus.

Vos famuli, prodestne decora voluptas?

Primus adulator.

Utilius nihil est.

Dives glorioſus.

Prodestne incumbere ludis?
Estne scelus furtim nitidas rapuisse puellas?

Secundus adulator.

Quid scelus esse putas? crede, est opus Hercule dignum.

Dives glorioſus.

Estne scelus propriæ stuprum intentasse sorori?

Primus adulator.

Quid scelus? est virtus.

Dives glorioſus.

Estne utilis alea?

Secundus adulator.

Quid ni?
Utilius nihil est.

Dives glorioſus.

An prosunt ocia?

Primus adulator.

Prosunt,
Quis dubitat ?

Dives gloriosus.

Speciosa Venus prodest ne ?

Secundus adulator.

Quis unquam
Ambigit ?

Dives gloriosus.

Ergo licet placidis incumbere ludis.

Primus adulator.

Nil timeas, posita lude audaciſſimus arca.

Author.

Nunc meritò parasitos domi alienæ lubentius quàm suæ sumptum facientes expellendos consulerem: qui his à quibus velut hiantes corvi prædam exspectant, nihil præter inhonestum, turpe dictu, & factu turpissimum suadent, virtutibus dominorum commercio interdicunt, scelerata vel gravissima mentibus inducunt: hinc non abs re Antisthenes eosdem meretricibus comparabat, quæ amatoribus omnia bona exoptant, præter mentem, & pudorem.

Ratio.

Sed semper tacita sceleratos aure ministros
Rudierim, nunquamne loquar, nunquamne reponam ?
Scribendæ nunquam Satyræ se noster Apollo
Conferet ? O hominem stultum & rationis egentem,
Ridiculum caput & nasuti fabula vulgi!

Dives gloriosus.

Men'stultum dicis ?

Ratio.

Stultum, & rationis egentem.

Dives gloriosus.

Cur stultum ?

Ra-

Ratio.

Quod te impeditas & retia duci
Non videas.

Dives glorioſus.

Qui me in pedicas & retia ducunt?

Ratio.

Hi quos perpetuo junctos tibi credis amore,

Dives glorioſus.

Cur ducunt?

Ratio.

Suadent etenim, ut virtute relicta
Ipſe voluptatem, genium, ventremque ſequaris.

Dives glorioſus.

Quid tum ſi ſuadent?

Ratio.

Si te damnoſa voluptas
Perdiderit, quoſnam tunc implorabis amicos?

Dives glorioſus.

Hi mihi ſubſidium tradent.

Ratio.

O perdite, neſcis
Quid referas, ventis ſi te fortuna ſiniſtris
Opprimeret, ſi deſtrueret damnoſa voluptas,
Diffugerent, neuterque tuis ſuccurrere vellet
Ærumnis.

Dives glorioſus.

Verum ne refers?

Ratio.

Verum eſſe putato.

Dives glorioſus.

Quæ Dea?

Ratio.

Conſiliis opulens, præſaga futuri,
Appellor Ratio.

Dives glorioſus.

Nunc experiemur amicos.

Hem

Hem famuli,

Primus adulator.

Quid ais princeps?

Dives glorioſus.

Dominum ne ſiniſtris
Caſibus oppreſſum, & magna pietate redactum
Fortunam in miſeram, veſtrum relevaret uterque?

Secundus adulator.

Quis dubitat?

Dives glorioſus.

Negat hoc ratio.

Primus adulator.

Putri ne veterno
Confectam hanc audis vetulam? quæ nil niſi nugas,
Nil præter gerras, ſimulataque ſomnia novit,
Pro te mille hyemes paterer.

Secundus adulator.

Pro te velo fatis
Immergi.

Primus adulator.

Pro te vitam committere ventis
Non dubitem

Secundus adulator.

Pro te Zancleam intrabo Charybdin.

Primus adulator.

Infeſtum profugis intrabo Capharea nautis.

Secundus adulator.

Pro te perpeterer morbi contagia mille.

Primus adulator.

Pro te centimani flammas tolerare gigantis,
Optarem.

Secundus adulator.

Pro te ruerem per tela, per ignes.

Primus adulator.

Pro te conficeret gladio.

Secun-

Secundus adulator.

Pro te mihi nares
Evelli paterer.

Primus adulator.

Paterer mihi viscera raptim
Discerpi.

Secundus adulator.

Pro te paterer niveos mihi dentes
Evelli.

Primus adulator.

Pro te vellem vitalibus auris
Privari.

Secundus adulator.

Pro te paterer me mille sagittis
Consumi.

Primus adulator.

Pro te subitis immergerer undis.

Secundus adulator.

Pro te, quo periit Laurentius igne, perirem.

Primus adulator.

Pro te, quâ periit nece Bartholomæus, obirem.

Secundus adulator.

Pro te perpeterer vermes mihi rodere corpus.

Primus adulator.

Pro te pulicibus comedenda hæc viscera vellem
Tradere.

Secundus adulator.

Marmorico vellem certare leoni.

Primus adulator.

Pro te immansuetis certarem tigribus.

Secundus adulator.

Ursos
Aggrederer.

Primus adulator.

Rodenda lupis hæc membra parare.

Se-

Secundus adulator.

Pro te phasiacis biberem medicata venenis
Pocula.

Primus adulator.

Boletum pro te quem Claudius edit,
Acciperem.

Secundus adulator.

Vellem Socratis potare cicutam.

Primus adulator.

Pro te me propriæ jugularem vulnere dextræ.

Secundus adulator.

Pro te Phœbeo patiens consumerer æstis.

Primus adulator.

Pro te conficerer jaculis.

Secundus adulator.

Pro te mihi collum
Truncari paterer.

Primus adulator.

Paterer mihi brachia rumpi.

Secundus adulator.

Ossa mihi frangi.

Primus adulator.

Mihi mollia crura revelli.

Dives gloriosus.

Quid dicis Ratio, famuli mihi mira relatu
Promittunt?

Ratio.

Facilè est promittere mira relatu,
Sed dare difficile est: pariet lapidosus Olympus,
Ridiculum tanto in partu consurgere murem
Aspicies: usu contingere sæpè videmus,
Multidicis ut qui promittunt plurima verbis,
Vel nihilum donent, vel saltem paucula præstent.

Primus adulator.

Neglige rex, vetulæ nugas.

Secun-

Secundus adulator.

Hæc vana repellas
Somnia.

Primus adulator.

Me ſemper fidum experiaris amicum.

Secundus adulator.

Et tibi me famulum, crede, experiere fidelem.

Dives glorioſus.

Diſcedas igitur Ratio, mihi diva voluptas
Aſſiſtet comes, & noſtris requieſcit in ulnis.

Ratio.

Conſiliis noſtris non audiviſſe pigebit.

Dives glorioſus.

Et pigeat.

Ratio.

Pigeat? verba hæc dixiſſe pigebit.
Tempus erit, quo te perdet larvata voluptas,
Quum præſens magno tibi fortè optaveris auro
Conſilium. Sed nil poſt turpia facta juvabit
Pœnituiſſe.

Dives glorioſus.

Procul fugias.

Ratio.

Spreviſſe pigebit
Conſilium.

Dives glorioſus.

Pigeat, ſoli mihi pœna futura eſt:
Jam placidis ludis licet indulgere, voluptas.

Voluptas.

Quis te delectat ludus?

Dives glorioſus.

Placet alea.

Voluptas.

Grata eſt
Et mihi.

Dives

Dives glorioſus.

Ludamus.

Voluptas.

Depromas mille talenta.

Dives glorioſus.

Deprompſi, ludas igitur.

Voluptas.

Prior incipe.

Dives.

Ludo.

Voluptas.

Subſequor.

Dives glorioſus.

Amiſi.

Voluptas.

Simili vis ludere ludo?

Dives glorioſus.

Non renuo.

Voluptas.

Ludas.

Dives glorioſus.

Ludo.

Voluptas.

Tria ſunt tibi puncta,
Quinq; mihi, lucror. Totidem vis ludere nummis?

Dives glorioſus.

Ludamus totidem nummis.

Voluptas.

Prior incipe.

Dives glorioſus.

Luſi.

Voluptas.

Subſequor.

Dives glorioſus.

Amiſi fatis me credo finiſtris
Progenitum: amitto quicquid depromo, reponam

Quic-

Quicquid nummorum supereſt, vtcunque ſequatur.

Voluptas.

Perdis adhuc.

Dives glorioſus.

Quid agam? jam nulla pecunia reſtat.

Voluptas.

Mille auri drachmas depromo, porrige veſtem.

Dives glorioſus.

Exuo: ludamus.

Voluptas.

Luſi.

Dives glorioſus.

Sequor, omnia perdo.
Sum miſer, infauſto me ſuſpicor Hercule natum:
Abſumptis opibus nudum me dia voluptas
Deſtituit. Quò diva fugis? nudúmne relinquis?
Saltem mille mihi miſero concede Philippos,
Ter centena tibi ſuperabunt millia: Surda eſt.
Nunc video quid fraudis habet damnoſa voluptas,
Cùm nummis hominem incautum ſpoliavit & auro,
Aufugit, atque opibus vacuum ſcelerata reliquit.
Expedit ut veteres nunc imploremus amicos.
Heus ſocii.

Primus adulator.

Quis tu?

Dives glorioſus.

Non noſtis? veſter Oreſtes,
Subdola quem tanta decepit fraude voluptas.
Hei me deſtituit nudum, nunc ſi quid amoris
Antiqui vos pungit adhuc, præſtate juvamen.

Secundus adulator.

Neſcio quid referas.

Primus adulator.

Nunquam te novimus.

Dives glorioſus.

Iſtum,

Quem

Quem Jove majorem (dum felix aura faveret)
Dixistis.

Secundus adulator.

Nunquam te vidimus.

Dives gloriosus.

Hæccine vestræ
Vincula sunt fidei?

Primus adulator.

Nunquam te novimus.

Dives gloriosus.

Is sum,
Pro quo tanta pati vos velle pericula quondam
Dixistis, nudo modicos nunc tradite nummos,
Pauca peto: Saltem lacerum concedite pannum,
Quo nudum hyberno defendam à frigore corpus.

Secundus adulator.

Non mihi notior es, quàm barbarus accola Nili.

Dives gloriosus.

Sic promissa fides periit?

Primus adulator.

Peregrine recedas.
Barbarus es, tu furciferi fortasse latronis
More rapis, quæcunque potes.

Dives gloriosus.

Num vivere furto
Dicitis? O nostræ vanos ætatis amicos!
Polliciti fuerant se mille pericula mortis
Pro me passuros: Quò nunc fortuna finistris
Me pepulit Zephyris? ignotum me sibi fingunt,
Vivere quin etiam scelerati more latronis.
O stultus qui consilium Rationis, & æqui,
Spreverit, & blando quem traxerit ore voluptas!

Ratio.

Celebre est adagium: Serò Phryges sapere, id est, stultos & inconsultos nunquam nisi ubi finistrum aliquid attulerit fortuna, prudentes fieri Monueram

ram te ſæpenumero ſtultiſſime, ut horum blandimentorum lenocinia reſpueres, palpum retruderes, voluptatemque deteſtareris. Verba tamen ludibrio tibi & neglectui fuere: fore videbam quicquid contigit. Solent enim noſtri ſæculi mortales, ſi ad perpinguem fortunam ſublimentur, multis amicis, ſubdolis tamen & prædam expectantibus, ſtipari. At ſi fatis urgentibus ſiniſtrum aliquid incurrant, neminem reperiunt qui egentibus ſubſidio velit adeſſe: Merito igitur cum elegiographo Naſone concluſerimus:

Proſpera ſi fuerint multos numerabis amicos
Tempora: ſi fuerint nubila, ſolus eris.
Scilicet ut fulvum ſpectatur in ignibus aurum,
Tempore ſic duro eſt inſpicienda fides.

FINIS.

Comœdiæ Perſonæ ſunt, Juvenis, Pater, Uxor.

Juvenis.

AMabo pater, ageſis quid agendum mihi fiet, quominus vitam hanc breviuſculam & bulla fragiliorem in ærumnis degero.

Pater.

Quid inquam tibi eſt animi? gauderem ſi quid facerem, quod tibi non eſſet moleſtum.

Juvenis.

Verùm ego te eam ob rem conſultum volui, quoniam jam ex ephœbis exceſſi, ut mihi ætatis provectæ aperires, quod mihi factu videres utile.

Pater.

Nihil fili, magis in rem tuam eſſe conſpicio, quàm ut ludum ſequare literarium.

Juve-

Juvenis.

Non, ſi clamando medius crepueris, iſtud in animum inducas meum, pater.

Pater.

Quidni induxero?

Juvenis.

Pol, literis nihil unquam magis odioſum mihi viſum eſt.

Pater.

Quid ita?

Juvenis.

Ut enim opulento homini ſervitus dura eſt, ita delicato corpori odioſa ſcholaris diſciplina.

Pater.

Odioſa?

Juvenis.

Odioſa ædepol.

Pater.

Quod ejus rei feciſti periculum?

Juvenis.

Ex aliis hercle periculum feci, atq; iis potiſſimum, qui in pædotribarum carceribus & moletrinis aliquandiu fuere relicti.

Pater.

Illic ne miſeriarum aliquid eſſe dicunt?

Juvenis.

Quin ipſam eſſe miſeriam dicunt.

Pater.

Ain' verum?

Juvenis.

Ajo enimvero.

Pater.

Quid cauſæ eſt?

Juvenis.

Ajunt autem mollicella corpuſcula, noctes & dies flagris

flagris illic contundi, cruſcula ipſa pedum tenus detunicari.

Pater.

Ajunt ne ullum veniæ locum?

Juvenis.

Nullum hercle, ſed quotidie morbos augficari, puerulorum ſcapulis undantes ſanguinis rivos ubertim elici dicunt, ipſoſque interdum non prius ejulantes relinqui, quàm ſpiritum penè emiſerint.

Pater.

Iſtud probæ indolis adoleſcentibus fieri non dicunt.

Juvenis.

Nullum ſanè diſcrimen aſſerunt, eadem eſt præceptorum in omnes torvitas, idem furor, eadem violentia.

Pater.

Erras, ſi credis, fili.

Juvenis.

Ædepol, & credo pater.

Pater.

Hoccine credibile eſt, quenquam eſſe tantæ feritatis lúdimagiſtrum, qui infantulos ad mortem uſque verberitet?

Juvenis.

Credibile non putaſſem pater, niſi nuper unum plagis peſſimè confectum, protinus inhumari vidiſſem.

Pater.

Morbo fortaſſe laborabat, & ægritudini ſuccubuerat.

Juvenis.

Nullum medius fidius, morbi contagium ſenſerat.

Pater.

Quonam igitur modo periiſſe dicunt?

Juvenis.

Dicunt, à leoninæ torvitatis ſanguinario præceptore flagris primò cruentatum, demum pedibus miserè turbulentatum, poſtremò in parietes, dictu horrendum, impetuosè jaculi more contortum.

Pater.

Erras, inquam, ſi credis, fili.

Juvenis.

Nec erro ædepol, & credo, pater.

Pater.

Aliter tibi perſuadeas velim.

Juvenis.

Pol non ſi Demoſthenes & Tullius ſuaſerint, mihi unquam perſuaſerint.

Pater.

Saltē id patris vel mandato, vel precibus condones.

Juvenis.

Pater quicquid aliud voles impera, mandatis tuis ſtetero: ſed quòd ſcholas ingrediar, & ferulæ me ſubmittam, non, ſi me pugnitus interficias, obediam.

Pater.

Hei fili.

Juvenis.

Tuus hercle filius, ſed pater non eſſes, ſi in eum me compelleres piſtrinum, ubi me minutatim diſcerpendum conſpicias.

Pater.

Diſcerpendum conſpicerem? Iſthuc nunquam vellem excogitare.

Juvenis.

Miſſa iſthæc faciamus velim pater, ſiquidem mihi nauſeam excitant.

Pater.

Quid igitur aliud feceris, quo tibi victum quærites? vis militiam ſequendo Trojanorum vel Romanorum numero conſcribi?

Ju-

Juvenis.

Dete ius loqueris, nullum officii genus mihi gratum eſt, quod plagis & vulneribus ſit obnoxium.

Pater.

Aliquid agas oportet, vis inſtar eorum qui latrinas exhauriunt inhoneſto victitare lucro?

Juvenis.

Te ne tui puderet, qui filium eò deprimi velles?

Pater.

Eò deprimi nolim, quoniam tamen ſcriptum eſt, Qui non laborat, non manducet: aliquid agas expedit.

Juvenis.

Pater, vis verba in paucâ tibi conferam, quid eſt quod me titillet maximè?

Pater.

Volo.

Juvenis.

Votis meis non acquieſces.

Pater.

Forſitan.

Juvenis.

Sed dic bonâ fide quæſo acquieſces?

Pater.

Si factu juſtum fuerit quod petiveris.

Juvenis.

Juſtum putes factu, & licitum.

Pater.

Nunc igitur petas.

Juvenis.

Quum ſim forma adeò venuſta & liberali, ut nihil ſuprà, uxorem velim ducere.

Pater.

Pape! quid audio?

Juvenis.

Hoccine acquieſcendi primordium?

Pater.

Hei juvenem delirum.

Juvenis.

Neſcio quid facturus ſim, quod ſtomachum tuum delectet.

Pater.

Uxorem quæris miſerrime Nigot. Quid aliud eſt quàm jugum & onus appetere?

Juvenis.

Si onus eſt: ducam tamen ſi permittas.

Pater.

Id meo non fiet conſilio.

Juvenis.

Saltem non reluctéris.

Pater.

Non reluctabor, ſed ſi ſtultitiæ tuæ te pœniteat, neminem præter te unum arguas.

Juvenis.

Neminem arguam vale pater.

Pater.

Bene vale fili.

Juvenis.

Mea Camilla, ſopiti ne quieſcunt antiqui amores noſtri?

Uxor.

Meus quotidie augeſcit.

Juvenis.

Et meus incrementum ſuſcipit jam, ut aliquando his, quæ amantes duriter excruciant finem imponamus, ad connubia deſcendamus.

Uxor.

Perplacet.

Juvenis.

Hunc ego anulum in amoris perpetui pignus confero.

Uxor.

Uxor.

Hoc egomet fidei xenium tibi præſto.

Juvenis.

Jam jam ut moris eſt presbyterum adeamus, quinos indiſſolubili vinculo copulet.

Uxor.

Adeamus, valete ſpectatores tantiſper dum è templo redierimas.

Pater.

O perdeliram juvenum vecordiam! O inops conſilii animos, qui patribus invitis ad protogamiam, ſeu primas nuptias accedunt, miſeriarum & factionum ignari, quas affert conjugalis thalamus: laborum inexpertes, quos nutriendorum liberorum ſumptus expetit: impendiorum neſcii, quæ domeſtica neceſſitas exigit: Hinc uxor oblatrat, hinc in cunabulis vagiunt filii, hinc aliquantò provectiores corvorum more cibum appetunt, hinc nundinæ maritum ad quæſtum vocant. Voluit tamen fatuellus meus filius diſſuadente fruſtra parente uxorem ducere, putans læticiam illam, quæ primo nuptiarum die titillat, perperuam forè Verum experietur quod ſcripſit Hyponactes, duos tantùm dies uxoris eſſe dulciſſimos, nuptiarum videlicet & mortis. Experietur inquam verum, diem videlicet nuptirum multorum malorum initium. Aderitque, ut opinor, tempus, quo ſibi accidiſſe vellet quod Eupolidi & uxori contigiſſe aſſerit Ovidius, quos prima nuptiarum nocte, ruina lecti interfectos his aſſerit verſibus.

Sit tibi conjugii nox prima, noviſſima vitæ,
Eupolis hoc periit, & nova nupta modo,

Sed adeſſe video metum uxorium fatuellum cum ſponſa. Ego igitur hic tantiſper quieſcam, donec videro, quo more unà vixerint.

Juvenis.

Uxor mea.

Uxor.

Mi marite.

Juvenis.

Quanta eſt in conjugio voluptas?

Uxor.

Quàm vehemens & ſuavis amor?

Juvenis.

Quot concharum oſcula?

Uxor.

Quot riſus?

Juvenis.

Maritus cum uxore oblectatur.

Uxor.

Uxor cum marito ridet.

Juvenis.

Unà compotant.

Uxor.

Unà comedunt.

Juvenis.

Quis igitur nuptias vituperet?

Uxor.

Quis Ariſtoteli non condeſcendat in Ethicis ſcribenti, viro politico ducendam eſſe uxorem non ſolùm liberorum, ſed victus & auxilii cauſa?

Juvenis.

Quis cum Heracleo non fateatur genus hominis ſociale eſſe, ipſius autem ſocietatis principium eſſe conjugium, ſine quo neque civitates conſiſtere, neque domus perfecta eſſe poteſt?

Uxor.

Pythagoras, Socrates, Crates etiam, qui tenui ſupellectile fuit, ut à majoribus meis accepi, uxorem duxerunt, eiſque cohabitavere, nec impedimento eſſe Philoſophiæ putaverunt,

Ju-

Juvenis.

Quid quæſo ſecundum naturam magis eſt quàm uxorem ducere?

Uxor.

Faceſſant igitur, qui nuptias, velut periculoſum aliquid reſpuunt.

Juvenis.

Faceſſant, qui ducendam non eſſe uxorem dicunt.

Uxor.

Sed heus marite hoc nuptiarum die lautè & genialiter vivimus, quid verò die craſtino comedemus?

Juvenis.

Jam quæ futura ſunt proſpicis?

Uxor.

Niſi id in rem meam fore conſpicerem, quæ futura ſunt non contemplarer. Opus eſt igitur ut tete operi accingas, quo noſtrum utrique victum quærites.

Juvenis.

Men' diſcruciare, jam quæritas?

Uxor.

Quid diſcruciare? ſed noſtræ duorum utilitati conſulere velim, properè igitur quicquam feceris.

Juvenis.

Aliquandiu ſaltem adhuc requieſcere permittas.

Uxor.

Vis nos inedia conſumi?

Juvenis.

Nolim.

Uxor.

Propera igitur, inquam, ſecus ignaviam tuam mihi non placere periclitaberis.

Juvenis.

Marito moleſta eſſe jam incipis?

Uxor.

Quis hic verborum eſt? ſatis ne tibi videor oblocuta miſerrime?

Juvenis.

Heu voluptas, ut nunquam es perpetuò bona.

Uxor.

Nullum ergo mandatis meis locum reliqueris? vapula.

Juvenis.

Hei mea uxor, ne tam duriter in me sævias, quicquid voles, exequar properé.

Uxor.

Has clitellas humeris superpone ac lignum venale compilatum deferas, quo nostrum utrique victum quærites. Perge Nigot.

Juvenis.

O quam miseri sunt, qui uxoribus suis nubunt, miseri inquam, quibus uxores imperant, verùm nunc experior, quod mihi pater prædixerat, multas in matrimonio esse miserias, miserum me, quid agam! Si domum nummis vacuus rediero sathanica illa muliercula diriter me jugulabit. Heus tu, qui propinquus hic adstas, hoc me exoneres ligno stipemque aliquam mihi conferas, secus hodie postremum me vides. Nunc parta pecunia ad uxorem redeo. Hem uxor, adest diurnum lucrum.

Uxor.

Id tantùm nobis comparasti, sceleratissime Nigot? vapula, vapula.

Juvenis.

Pol ego plura non præferam.

Uxor.

Insurgis in me nefarie? ego sanè faciem unguibus tibi deformabo.

Juvenis.

Hei uxor, sit saltem veniæ locus, nunquam in flagitia reverti mihi contigerit.

Uxor.

Surge igitur.

Ju-

Juvenis.

Faciam quicquid jusseris.

Uxor.

Aquam situlis exantlaturus propera.

Juvenis.

Dicto citius pareo. Hei quam miseri sunt, qui uxoribus suis nubunt: vellem primo nuptiarum die, me subitanea morte consumptum fuisse! Hei misero mihi quid faciam? Redeo uxor, aquam affero.

Uxor.

Hem quid hic lacrymarum est.

Juvenis.

Non lugeo.

Uxor.

Non si sapis. Telam hanc ad rivum lavatū propera.

Juvenis.

Næ uxor pareo.

Juvenis.

Properes inquam.

Juvenis.

O infortunatam maritorum conditionem! Vellem me terra absorptum, quum mater me peperit. Quid faciam? Quò me vertam? miserum me, qui hanc mulierculam in uxorem duxerim! redeo uxor, mundam refero.

Uxor.

Sceleste, quid labeculam hanc non abluisti? vapulæ. Tu me tantisper dum rure rediero, domi remane ac ibidem opperire & cave si pedem commutaris.

Juvenis.

Ah pater, pater.

Pater.

Heu fili, fili.

Juvenis.

Verum nunc experior, quod esse prædixeras.

Pater.

Quid illud ?

Juvenis.

Permultas in matrimonio esse miserias.

Pater.

Periculum fecisti ?

Juvenis.

Plus satis expertus sum, Sathanica uxor mea scapulas flagris mihi mutilavit, néque magis mutilare licet, si lapideus essem. Suis mandatis parere cogor, vellem me primo nuptiarum die, terra fuisse absorptum.

Pater.

Tu quoniam consilio meo acquiescere recusasti, perpetere quicquid merito pateris. Nam quod pertulisti nihil est, longè plura passurus es. Quod si soli id contingere cogitas, audi turbulentam Socratis Xantippen, audi quibus conviciis maritum insectetur obtundere.

FINIS.

Sequentis Dialogi Interlocutores sunt, Sapiens, Juvenis, Senex.

Sapiens loquitur.

Dic elate puer tumida quid fronte superbis ?
Quid rigido caperas ora supercilio ?

Juvenis.

Quòd Pactolinis fit turgida bursa metallis,
Quodque Corinthææ sint multi divitiæ.

Sapiens.

Si tibi divitiæ fuerint, quas alta Corinthus,
Quasque opulens habuit divitis arca Mydæ :
Et quicquid pariter vomit auri Lydius Hermus,
Et croceis quicquid Thracius Hebrus aquis.

Quid

Quid tum? nunquid opes abeunt, fragileſq; recedunt
Divitiæ? Crœſi diruta regna probant.
Divitis inſpicias ubi nunc opulentia Crœſi,
Aut ubi theſaurus dic Cleopatra tuus?
Pygmalioneis ubi ſunt turgentia nummis
Scrinia? ubi gazæ rex Lodoice tuæ?
Dic elate puer tumida quid fronte ſuperbis?
Quid rigido caperas ora ſupercilio?

Juvenis.

Quòd mihi divinum terra impartitur honorem,
Et populus curvo poplite dicat, Ave.

Sapiens.

Si tibi perpetuos populus decernat honores,
Et te Semideum vanula turba vocet:
An tamen erecta debes procedere criſta?
Et turgere tuis, pavo ſuperbe, oculis?
Auguſtum innumeri ſalvum fecere triumphi?
An tibi profuerit gloria magne Cato?
Tene redemit honos elatis Scipio pennis?
Vos gemini eripuit gloria Scipiadæ?
Dic elate puer tumida quid fronte ſuperbis?
Quid rigido caperas ora ſupercilio?

Juvenis.

Quòd mihi lucentis fuerit præſtantia formæ,
Multus & in crocco fulgeat ore lepos.

Sapiens.

Nónne velut lapſo moribunda papavera collo
Intereunt, hominis forma caduca perit?
Quid niveam juvit ſpecies formoſa Lacænam,
Profuit aut Nymphis gloria ſydereis?
Et quid cæſaries te pendula juvit Adonis,
Manſiſti croceis flava jocaſta comis?
Corporis an ſplendor Ganymedem à morte redemit,
Thyodamanteum forma redemit Hylam?
Quum ſubitis igitur flacceſcant membra diebus,
Et ſubito fragilis tempore forma cadat,

Dic elate puer tumida quid fronte ſuperbis?
Quid rigido caperas ora ſupercilio?
Juvenis.
Quòd mihi ſit claræ reſonans argutia vocis.
Argutoque canat lingua diſerta ſono.
Sapiens.
Servari arguto Sirenas carmine cenſes?
Quodque ſuis nautas cantibus alliciant?
Falleris: ergo puer tumida quid fronte ſuperbis?
Quid rigido caperas ora ſupercilio?
Juvenis.
Quòd ſum fatidico clariſſimus ore poëta
Oraque Pierio merſa liquore geram.
Sapiens.
Captum oculis præſtans an Muſa redemit Homerū,
Qui Danaa celebrat Pergama rupta manu?
Num cithara reſonans Æagrius occidit Orpheus,
Num docto vidua eſt Mantua Virgilio?
Corduba Lucanum, nunquid Verona Catullum
Perdidit? implicitum Gallus & Auſonium.
Nunquid ad infernas deſcendit Horatius umbras
Peligni vatis gloria nónne jacet?
Si Vates igitur nequeat ſervare poëſis,
Ergo quid elata fronte ſuperbe tumes?
Juvenis.
Sum bonus orator.
Sapiens.
Fueris licet inſpice Criſpum,
Romanæ princeps qui fuit hiſtoriæ.
Dic ubi ſit Latii ſermonis buccina Marcus
Tullius: incluſum per brevis urna tegit.
Juvenis.
Prævalidæ mihi ſunt nervoſo in corpore vires.
Sapiens.
Viribus Herculeis ſalvus abire putas?
Bellica robuſtum virtus non juvit Achillem,

Ar-

Armiferoque nihil profuit Æsonidæ ?

Juvenis.

Sum claris prognatus avis.

Sapiens.

Virtutis avitæ
Conspicui nullos eripiunt tituli.

Juvenis.

Aurea candidulum velant redimicula corpus.

Sapiens.

Non redimit summos purpura tincta duces.
Dic igitur tumida quid adhuc nunc fronte superbis ?
Quid rigido caperas ora supercilio ?

Juvenis.

Vis mihi surgentis factum contundere vultus,
Elatumque animum vincere ? dic quid agam.

Sapiens.

Virtutum perquire vias.

Juvenis.

Metiris arenam :
Virtuti hærebo, dum capularis ero.

Senex.

Nescio si canos sis perventurus ad annos,
Ne referas igitur, dum capularis ero,
Justiatæ incumbas.

Juvenis.

Dum venerit ultima rerum
Linea.

Sapiens.

Sis justus.

Juvenis.

Dum capularis ero.

Sapiens.

Ætatem renuent tibi numina forte senilem,
Ne dicas igitur, dum capularis ero,
Tu nudos operi.

Juve-

Juvenis.

Faciam, dum venerit ætas
Ultima.

Sapiens.

Pace inopes.

Juvenis.

Dum capularis ero.

Sapiens.

Porrige mendicis paſtum.

Juvenis.

Dum venerit ætas
Ultima.

Sapiens.

Sis humilis.

Juvenis.

Dum capularis ero.

Sapiens.

Longa viris plerunque nocet dilatio pigris,
Ne referas igitur, dum capularis ero.
Virtutes imitare.

Juvenis.

Sequar dum grandior ætas
Venerit: at pueros alea ſola decet.

Sapiens.

In Superos ſupplex ſummo famulare conatu,
Divinæque colas religionis opus.

Juvenis.

Quando ſenex fuero, ducar virtutis amore:
Sed ludos ætas jam puerilis amat.

Sapiens.

Sic juvenum præceps ſemperque volubilis ætas
Virtutum ſtudiis eſt inimica bonis.
Nil niſi læta refert juvenili congrua barbæ:
Cuncta ſed incurvum mœſta decere ſenem.
Sic fore perpetuæ ſeſe virtutis amicum
Promittit juvenis, dum capularis erit.

Sed

Sed perit ignotis occulta volatibus ætas,
Sic citò decrepitus qui puer antè fuit,
Et quum decrepitis anni venere ſeniles,
Nil agit imbelli curva ſenecta manu.
Experiar ſi decrepitum virtutis amantem
Reddidero, Pueris ſit ne ſenex melior.
Salve annoſe pater.

Senex.

Salve chariſſime fili.
Quis tu? jam miſerum lumina deficiunt,
Noſcere te nequeo, referas quod ſit tibi nomen:
Jam ſenſus omnes curva ſenecta hebetat.

Sapiens.

Sum Sapiens.

Senex.

Quid ais fili? non audio, Clama.

Sapiens.

Sum Sapiens.

Senex.

Sapiens? ſit tibi fauſta ſalus.
O fili, fili, puerilis decidit ætas,
Et ſubitò primi deperiere dies.
Nunc careo nervis nullaſque in corpore vires
Sentio, ſicca ſuo robore membra carent.
Quid quæris fili?

Sapiens.

Tibi ſanum ferre juvamen
Conſilii & modicas tradere ſuppetias:
Ut quum fatalem tibi finiet Atropos annum,
In cœlum faciles dent tibi fata vias.

Senex.

Porrige conſilium fili.

Sapiens.

Pater optime nutri
Mendicos, paſtum porrige pauperibus,
Et nudos operi, ſitienti vina propines,

Senex

Senex.

Ah quid ais, nullæ ſunt mihi divitiæ ?
Vix habeo quo decrepitum nutrivero corpus:
Quid dabo mendicis ? deſine, littus aras.

Sapiens.

Auditor videas, ſemper creſcentibus annis
Inſanæ ſtimulus creſcit avaritiæ.
Multa juventutis ſepelit peccata ſenectus:
Inviſam pueris auget avaritiam.
Ergo pater veterate, Deo famulare.

Senex.

Nequirem:
Flaccida proſtratis viribus oſſa cadunt.
Vix poſſim geminas orans conjungere palmas,
Vix poſſum verbum fundere, ſed quid agam ?

Sapiens.

Templa ſubi.

Senex.

Subeam ? pedibus ſubſiſtere firmis,
Non poſſum. Quid agam ? decrepitus morior.

Sapiens.

Ægrotis fer ſuppetias.

Senex.

Quid ferre valebo ?
Externis egeam quum miſer obſequiis.

Sapiens.

Tu viduis igitur præſtes ſolatia.

Senex

Præſtem ?
Membra gero aſſiduis ſaucia vulneribus.
Præſtabóne aliis quod non mihi præſto juvamen ?
Ah quantis plena eſt tarda ſenecta malis !
Ah quantos generat morbos miſeranda ſenectus,
Quanta decrepitos anxietate gravat !
Caligant oculi, cervix adjuncta cerebro
Palpitat, & tremulis lingua cadit labiis :

Curvan-

Curvanturque humeri, venter labat, intima languent
Viscera, & exhaustis viribus ossa cadunt:
Deficiunt sensus, & languida crura putrescunt:
Sic humana caro vertitur in cineres.
Sic morimur, sic vita hominis peritura recedit,
Sic viles umbris solvimus inferias.
Filioli, dum priminovæ lanuginis ætas
Regnat, & in croceo plurimus ore decor:
Virtutis captate vias; virtutibus uti
Viribus exhaustis mœsta senecta nequit.

Sapiens.

Ne lædat patulas versus prolixior aures,
Jam clausus modico carmine finis erit.
Virtutem renunut juvenes: virtutibus uti
Viribus exhaustis mœsta senecta nequit.
Apta igitur nulla est sacris virtutibus ætas:
Carminis hæc summa est linea, finis adest.

FINIS.

In hoc Dialogo interloquuntur pleræque personæ, quarum numerus colligi poterit quàm facillime.

Mundus incipit

Sicut in Euboica puppis vaga fluctuat unda,
Quam variis circum verberat aura Nothis:
Ut tremulis nutat foliis agitabilis arbos,
Quam premis oppositis Æole spiritibus:
Sic animus semper dubio mihi pendulus hæret,
Quâ vivens possim tutius ire via.
Quum Deus ex nihilo diversa elementa creavit,
Atque Damasceno corpora prima luto:
Contulit & refugis habitandas piscibus undas
Æraque exiguis præbuit altitibus:

Libera

Libera tunc homini infusa est & prona voluntas,
Ut proprio liber viveret arbitrio.
Utque vel hoc sequeretur iter vel carperet illud,
Aut hac, aut illa, posset ut ire via.
Eligeretque sacris mallet virtutibus uti,
An scelerum turpi se maculare luto.
Sic utriusque viæ quoniam datur optio nobis,
Alterutrum liceat carpere, sum dubius.
Si virtutis ero vestigia fortè secutus,
Visceribus hostris inferet arma caro.
Me titillabit porrecto melle voluptas,
Cor mihi Cecropiis tinget & ora favis.
Hinc Venus aligeri pruritum inducit amoris,
Me premet Æthneo non minor igne calor.
Hinc mihi fulgentem ostendet meretricula vultum,
Et me prominulis attrahet uberibus,
Verbaque compositis finget peramœna labellis,
Irato fulmen depositura Jovi.
Dirigit arte pedes, & vinciet arte capillos,
Proferet arte manus, diriget arte oculos:
Sique propinatum mens suxerit ægra venenum,
Objectaque calens ebibat illecebras:
Nullius virtutis amor revocare furentem
Tunc poterit sensum, quin ruat in furias.
Si contrà illecebris animam commisero, virtus
Tartareæ objiciet verbera Persephones.
Offeret armatum colubris flammisque Megæram,
Anguigeras oculis præferet Eumenides:
Armatum horrisonis finget Plutona flagellis,
Qui velit incautas illaqueare animas.
Et mihi perplexo quid agendum nescio, pectus
Fluctuat, & dubiis vota ruunt Zephyris.
Te Deus humanis socium conjunxit, ut illuc
Aut huc ancipitem dirigeres animum.
Die igitur quas ire vias, quas ire per undas,
Quaque licet vitæ conditione frui.

Libe-

Liberum arbitrium.

Quis tu cui tantæ verſant præcordia curæ?
Cui mens Æoliis eſt levior Zephyris?

Mundus.

Mundus ad illecebras & ad ocia pronus, & omnes
Delicias, ſcelerum defluus in maculas.

Liberum arbitrium

Quid petis?

Mundus.

Irritat ſtomachum mellita voluptas,
Subdola viſceribus præparat arma caro:
Hinc mihi molliculum prætentant ocia ſomnum,
Aſſidua & ſtimulis provocat oſſa quies:
Hinc mihi pro Venere amplexus, tactuſque jocoſque,
Baſiaque oſtendit luxurioſus amor:
Hinc atram jecori parat indignatio bilem,
Intimaque obſcœno viſcera felle tument:
Æmulus hinc tenebrata gravat præcordia livor,
Lumine & obliquo naſcitur invidia:
Suſcitat hinc tetricos animoſa ſuperbia faſtus,
Deſpiciens torvo quenque ſupercilio.
Dic igitur, quid agam?

Liberum arbitrium.

Laxum tibi præbeo frenum,
Et quacunque voles tu poteſt ire via.

Mundus.

Sed quas ire vias deceat mihi, conſule.

Liberum arbitrium.

Navim
Dirige, quà ventus traxerit, Æolius.
Quicquid amas facito, laxas præbemus habenas,
Et quocunque voles dirige remigium.

Mundus.

Si mihi turgentem fortaſſe ſuperbia faſtum
Suppeditet, ſtimulis obſequar illicitis,

Si

Si rugas fronti caperatæ fortè severas
Afferat, & tetrici signa supercilii:
Utque superbificis aspernam quenque loquelis,
Et tumeam cauda pavo superbe tua:
Parebo? ancipiti consule Prona voluntas,
Obscœnum ne mens corruat in vitium.

Liberum arbitrium

Quid ages? potes esse superbus,
Et non elati tu potes esse animi.
Alterutrum feciſſe potes.

Mundus.

Si pectora forsan
Insanæ stimulus pungat avaritiæ,
Urgenti si sacra fames ac dira libido
Compungat stimulo: Consule tunc quid agam?

Liberum arbitrium.

Aut nummus inhiare potes, vel spernere nummos,
Alterutrum facias elige, namque potes.
Nec tibi præfigno metas, votisque refisto,
Secura tamen est tutius ire, via.

Mundus.

Si mihi pruritum attulerit mellita voluptas,
Suadeat aut teneris incubuisse jocis:
Obsequar?

Liberum arbitrium.

Alterutrum perfeceris, elige: metas
Non statuo, duplici tu potes ire viæ.
Monstrat iter geminum tibi litera lata vetusti
Pythagoræ, est votis optio certa tuis:
Aut servire potes Veneri, aut præcingere lumbos,
Elige: virginitas & Venus ante oculos.

Mundus.

Nil aliud suades?

Liberum arbitrium.

Animis est nata voluptas
Libera, stat, votis optio certa tuis.

Elige,

Elige, nam ſcelerum patefacta eſt ſemita cunctis,
Virtutiſque itidem ſemper aperta via eſt.

Mundus.

Quum mihi nil aliud referas, virtute relicta
Hærebo vitiis.

Liberum arbitrium.

Elige jam quid agas.

Mundus.

Eſte procul lacrymæ, procul hinc, procul ire dolores
Sit procul & tetrici ruga ſupercilii.
Lætaque pullatas deponant corpora veſtes,
Exornet benè olens atria læta crocus.
Splendida nunc Paphia decorent mea limina myrte,
Pæſtanis halent tecta ſuperba roſis.
Hortulus huc virides mittat Phœacius herbas,
Melliferos mittat fertilis Hybla favos.
Indulgete animis Pueri conceſſa voluntas
Libera, Pythagoræ litera lata docet.

Mors.

Surgite fatales Parcæ

Clotho.

Paremus.

Mors.

Adeſte.

Lacheſis.

Adſumus.

Mors.

Arrectis auribus eſte.

Atropos.

Sumus.

Mors.

Senſibus humanis quoniam eſt infuſa voluntas
Libera quod primum mentibus arbitrium,
In ſcelerum maculas nullis detentus habenis
Mundus & innumeras fluxit in illecebras:
Nec videt incertæ pereuntia tempora vitæ,

Nec

Nec quæ ſit miſeris pœna futura videt,
Nec nigras metuit tenebroſi carceris umbras.
Nec paradiſiacas quærit anhelus opes,
Ite igitur famulæ, volucreſque revolvite fuſos,
Ducatiſque agili tradita penſa manu:
Vi perfecta colos vacuas cùm ſtamina linquent.
Et fragilis vitæ lubrica finis erit:
Quemque hominum jugulem cunctiſque venena propinem.

Clotho.

Paremus votis.

Lacheſis.

Vadimus.

Atropos.

Obſequimur.

Clotho.

Si mundus ſaperet, pereuntes cerneret annos,
Quamque ruat levibus lubrica vita rotis.

Lacheſis.

Si mundus ſaperet, periturum cerneret ævum,
Proſpiceretque leves ocyus ire dies.

Atropos.

Si mundus ſaperet, vitæ fortaſſe futuræ
Conſuleret, tacitis tutus in excubiis.

Clotho.

Si mundus ſaperet, non venaretur honores,
Devia nec quicquid ſuggerit ambitio.

Lacheſis.

Si mundus ſaperet, nunquam virtute relictæ
Pollueret ſpurcis corpora flagitiis.

Atropos.

Si mundus ſaperet, non exarderet in iras,
Nec faceret ficcum bile tumere jecur.

Clotho.

Si mundus ſaperet, Veneris fomentæ malignæ,
Sperneret, & vanas corporis illecebras.

Lache-

Lacheſis.

Si mundus ſaperet, rebus fortaſſe futuris
Conſuleret miſeræ proſpiciens animæ.

Atropos.

Si mundus ſaperet, luſus, rixaſque, jocoſque,
Baſia & amplexus ſperneret, & choreas.

Clotho.

Si mundus ſaperet, rabidum Plutona timeret,
Et ſerpentigeræ verbera Perſephenes.

Lacheſis.

Si mundus ſaperet, ſtellati gaudia cœli
Proſpiceret, læti nunc memor Elyſii.

Atropos.

Si mundus ſaperet, raptus virtutis amore
Pelleret obſcœnum corpore flagitium.

Clotho.

Munde fugax, quid agis?

Mundus.

Latis indulgeo ludis.

Lacheſis.

Munde fugax, quid agis?

Mundus.

Reſpuo triſtitiam.

Atropos.

Munde fugax, quid agis?

Mundus.

Quicquid caro blandula ſuadet.

Clotho.

Munde fugax, quid ais?

Mundus.

Ocia lenta ſequor.

Lacheſis.

Stulte quid inſequeris?

Mundus.

Quicquid Venus alma miniſtrat,

Atropos.
Stulte quid inſequeris.
Mundus.
Quod dat amœna caro.
Clotho.
Perdite quò tendis?
Mundus.
Quò me via ducit euntem.
Lacheſis.
Perdite quò tendis?
Mundus.
Quò meus error agit.
Atropos.
Perdite quò tendis?
Mundus.
Quò ducit amica voluptas,
Quoque vocat mentem delicioſus amor.
Clotho.
An nos non noſti?
Mundus.
Quid cognoviſſe juvaret?
Lacheſis.
Prodeſſet miſer à proxima mors animæ.
Atropos.
Fatales mortis nos noveris eſſe miniſtras?
Mundus.
Eſto, feræ mortis ſpicula non timeo.
Clotho.
Humanam ſubito metimur ſtamine vitam,
Mundus.
Non curo tereti ſtamina tracta manu.
Lacheſis.
Nos facimus miſeris inopinum accedere fatum.
Mundus.
Aſpernor dubii funeris exequias.

Atropos.

Atropos.

Nos facimus dubiis hominem diſcedere morbis,
Qui nunc incolumi corpore ſanus erat.

Mundus.

Tanta nec incutiunt modicum mihi verba timorem,
Et morbi & mortis dememineſſe velim.

Clotho.

Vivere perpetuis nullum permittimus annis.

Mundus.

Cognoſco vitæ tempus abire meæ.

Lacheſis.

Pauci adeunt cœlos.

Mundus.

Cœlorum gaudia ſperno.

Atropos.

In tenebras abeunt maxima pars hominum,

Mundus.

Pars hominum in tenebras deſcendit maxima: quid tum?
Nec mihi de cœlo cura, nec atro Erebo,

Clotho.

Quid factu comites nunc creditis utile?

Lacheſis.

Eamus.
Nos ſurdo canimus.

Atropos.

Nos numeramus aquas.

Clotho.

Feſtivo teretes & dulci pollice fuſos
Traximus, atque alacri tradita penſa manu.
Nunc dominæ morti reſponſa referre neceſſe eſt,
Quo maculet mundus corpora flagitio.

Lacheſis.

Vadamus, ſi quidem refluum nunc littus aramus.

Atropos.

Mittimus Æoliis irrita verba Notis.

Clotho.

Mors, tua contemnit fugitivus vulnera mundus,
Hunc nihil anguiferi territat ira canis.

Mors.

Oſtendam quantas habeat mea dextera vires,
Et quo percuſſos vulnere damnificet.
Nunc eo tortilibus jactura haſtilia nervis,
Vibratura arcu ſpicula Sarmatico.
Munde tuæ vecors renuis meminiſſe ſalutis,
Nec gelidæ mortis vulnera dira times.
Contemnas utcunque voles, tamen eſſe timendum
Oſtendam & Stygii carceris omne chaos.
Nunc viroſa tuis immittam ſpicula natis,
Ut diſcant miſeræ flebile mortis onus.
Tu qui naturæ natos excellis in orbe
Papa veni.

Papa.

Quò mors me vocat?

Mors.

Ad choreas.

Papa.

Ad choreas, quales choreæ? Mihi trina corona
Num nam profuerit?

Mors.

Nil tibi profuerit.
Expedit hæc omneis homines decedere vita:
Da cultris jugulum Papa ſevere meis.
Induperator ades?

Imperator.

Quis me vocat?

Mors.

Ultima rerum
Linea, mors.

Imperator.

Quò mors me vocat?

Mors.

Mors.

Ad choreas.

Imperator.

Ad choreas, quales choreæ ?

Mors.

Accedere fas eſt.

Imperator.

Nil mihi ſubſidio lucidus enſis erit ?

Mors.

Nil tibi profuerit ?

Imperator.

Mundi ne fuiſſe Monarcham ?

Mors.

Nil diadema tui proderit imperii.
Expedit hac omneis homines decedere vita :
Da cultris jugulum tumida bulla meis.
Rex propera.

Rex.

Quis tu ?

Mors.

Mors ultima linea rerum.

Rex.

Quò mors me ducit ?

Mors.

Te vocat ad choreas.

Rex.

Ad choreas ? quales choreæ ?

Mors.

Decedere fas eſt.

Rex.

Nil mihi profuerint lilia, nil aquilæ ?
Nil crux alba, nihil pariter me rubra juvabit ?
Nil terræ domini ruga ſupercilii ?

Mors.

Nil tibi profuerit, moriendum eſt, accipe vulnus :
Da cultro jugulum tumida bulla meo.

Miles ades.

Miles.

Venio, quid vis.

Mors.

Nunc arma relinquas,
Exule loricam, rejicias clypeum.

Miles.

Cur me ferratis tandem exarmabo ſagittis,
Cur arma abjiciam ?

Mors.

Mors furioſa jubet.

Miles.

Mors furioſa jubet: quid me ſudaſſe juvabit ?
Quid rabidam toties fuſtinuiſſe famem ?

Mors.

Nil tibi profuerit: moriendum eſt, accipe vulnus,
Da gladio fauces umbra caduca meo.
Surge potens judex, vilem nunc indue pannum,
Tollaturque humeris purpura rubra tuis.

Judex.

Quis tu qui lacero vis cingere corpus amictu,
Veſtimentum humeris tollere purpureum ?

Mors.

Mors.

Judex.

Quid ais, quid vis ?

Mors.

Fragilem tibi claudere vitam.

Judex.

Nil ne mihi gravitas tetrica profuerit.

Mors.

Nil tibi profuerit gravitas occumbere fas eſt:
Da gladio fauces umbra caduca meo,
Cauſdice exurgas.

Cauſidicus.

Quis me vocat ?

Mors.

Mors.

Ultima rerum
Linea, Mors.

Cauſidicus.

Quid vult?

Mors.

Te vocat ad choreas.

Cauſidicus.

Ad choreas? quales choreæ?

Mors.

Decedere fas eſt.

Cauſidicus.

Auxilii ne aliquid lingua diſerta ferat?

Mors.

Nil tibi rauciſonæ clamoſa tonitrua vocis
Profuerint: noſtra da jugulum gladio,
Doctor ades.

Doctor.

Quid vis?

Mors.

Agilem tibi claudere vitam.

Doctor.

Nil doctrina juvat,

Mors.

Nil juvat, intereas.
Vos præceptores duo ſurgite.

Primus præceptor.

Quis mihi ſomnum
Rumpit?

Secundus præceptor.

Quis tacito me vocat è thalamo?

Mors.

Mors quæ cuncta rapit, quæ nulli parcere novit.

Primus præceptor.

Sudavi in ſtudiis.

Secundus præceptor.

Discipulos docui.

Mors.

In studiis sudâsse bonum, sed abire necesse est,
Nunc cultro jugulum detis uterque meo.
Dispensator ades?

Dispensator.

Quis tu?

Mors.

Mors, ultima rerum
Linea.

Dispensator.

Mors, quid vis?

Mors.

Te trahere ad choreas.

Dispensator.

Ad choreas? quales choreæ?

Mors.

Decedere fas est.
Da cultro jugulum bulla caduca meo,
Surge coce & pingui cessas servire culinæ,
Mors inopina vocat.

Coquus.

Quò vocat?

Mors.

Ad choreas.

Coquus.

Me ne mori fas est?

Mors.

Moriendum est, accipe vulnus:
Hoc tibi trajiciam saucia membra veru,
Ambitiose veni, laudis sitibunde Poëta.

Poeta.

Quid vis?

Mors.

Te cultro nunc jugulare meo.

Poeta.

Poeta.

Me ?

Mors.

Te.

Poeta.

Me æternum peperit cui nomen Apollo ?
Quem molli gremio Calliopea fovet ?

Mors.

Nil tibi profuerint Muſæ, nil Augur Apollo ?
Nil docti princeps Calliopea chori.
Da jugulum cultris, moriendum eſt, accipe vulnus,
Intereas jaculis umbra caduca meis.
Ebrie conſurgas,

Ebrius.

Quid vis ?

Mors.

Te tradere morti,

Ebrius.

Trade me morti,

Mors.

Tradere, ſurge iterum,

Ebrius.

Vos ne ergo vites dilectæ & pocula Bacchi
Deſtituam & nunquam vina Falerna bibam ?

Mors.

Da jugulum.

Ebrius.

Tradam, tamen ante breviſſimus hauſtus
Sit mihi conceſſus.

Mors.

Jam bibe.

Ebrius.

Bacche vale.
Mors quid me ſubita liceat decedere vita,
Atque alio dubiam protinus ire animam
Hiç ſaltem requiem præſtes, ubi dulcibus uvis

Et dulci vino floreat almus ager.

Mors.

Nunc morere.

Ebrius.

Hunc hauſtum ſaltem concede ſecundum,
Bacche vale, valeas, optime Bacche vale.

Mors.

Surge puella virens & plenis nubillis annis.

Puella.

Quis ?

Mors.

Mors.

Puella.

Quid quæris ?

Mors.

Te trahere ad choreas.

Puella.

Nil mihi profuerit nitidæ præſtantia formæ ?

Mors.

Inſpice Tyndaridi profuerit ne Helenæ.

Puella.

Nil tumidæ mammæ ?

Mors.

Nihil.

Puella.

Et nihil æmula gemmis
Lumina ?

Mors.

Nec gemmis æmula profuerint.

Puella.

Amplexus ne aliquid ?

Mors.

Nihil.

Puella.

Et nihil oſcula vernis
Vel mage amœna roſis :

Mors

Mors.

Oſcula nulla juvant.

Puella.

Fidite nunc formæ juvenes.

Mors.

Occumbe puella,
Da gladiis fauces pulchra puella meis,
Deſertæ properes tu ſobrie cultor eremi.

Eremita.

Quis ?

Mors.

Mors.

Eremita.

Quid quæris ?

Mors.

Te trahere ad choreas.

Eremita.

Nil mihi ſobrietas, jejunia, nil mihi quicquam
Profuerint ?

Mors.

Prodeſt ſobria vita animæ,
Non tamen eripiet corpus, decede fas eſt.
Hic igitur mortis vulnera ſuſcipias.
Lixa veni.

Lixa.

Quis tu ?

Mors.

Mors rerum linea.

Lixa.

Quid vis ?

Mors.

Diſpoſitas cunctis te trahere ad choreas,
Da jugulum cultro, moriendum eſt, accipe vulnus,
Te vacuis umbris mittimus inferias.
Nunc quoniam noſtris clades patet ampla ſagittis,
Extremum fas eſt addere judicium.

Arbiter incorrupte veni Rhadamanthe.

Rhadamanthus.

Quid optas ?

Surgo tuis ſemper deditus obſequiis.

Mors.

En mundi pueros & cæſa cadavera paſſim,
Ad tetricum fontes nunc trahe judicium.
Pollutas animas nigris include barathri
Carceribus, ſanctas mitte per Elyſium.

Rhadamanthus.

Incipiam, Clotho ?

Clotho.

Judex.

Rhadamanthus.

Quid Papa patravit ?

Clotho.

Venales venias & ſacra propoſuit.

Rhadamanthus.

Ad Stygii nigras ducatur carceris undas.

Papa.

Hei Rhadamanthe inopis nunc miſerere mei.

Rhadamanthus.

Hunc rapias, Pluto.

Pluto.

Rapiam, flammiſque peruram,
Infligam rigidis vulnera verberibus.

Rhadamanthus.

Perge, inquam, Clotho, quid miles criminis egit ?
Dic, tetricum fas eſt claudere judicium.

Clotho.

Agricolas roſit violenti principis inſtar.
Gallinas rapuit, par feritate lupis.

Rhadamanthus.

Rodendus patulo, tibi, Cerbere, detur hiatu,
Qui nudum vivens roſerit agricolam.

Mi-

Miles.

Hei Judex!

Rhadamanthus.

Stygias, inquam, tradatur ad umbras,
Hic ubi perpetuo cuncta dolore gemunt.
Quid fecit Judex, Lachesis?

Lachesis.

Cupidissimus auri.
Extitit, & fluxas semper amavit opes.
Corruptus nummis, flavo corruptus & auro,
Non timuit sacram frangere justitiam.
Donavit corvis veniam laqueisque columbas
Implicuit.

Rhadamanthus.

Nigro langueat in barathro.

Judex.

Hei Rhadamanthe, animæ profugæ miserere.

Rhadamanthus.

Trahatur
Quò jubeo nigras languidus in tenebras.
Quidnam Caufidicus fecit famula Atropos?

Atropos.

Olim
Extitit insanæ servus avaritiæ,
Quique etiam causas non agnovere forenses,
Hos propriis fallax implicuit pedicis.

Rhadamanthus.

Ducatur rapidò in flammas & tecta Chimæræ.

Caufidicus.

Hei Rhadamanthe, inopis nunc miserere mei.

Rhadamanthus.

Perge, inquam. Clotho, quid Doctor criminis egit?

Clotho.

Fastosi cupidus semper honoris erat.
Primos accubitus petiit, persanctus haberi
Optavit; vivens ambitiosus erat.

Rhada-

Rhadamanthus.

Anguiferæ præceps rapiatur in antrâ Megæræ,
Hic ubi ſtat Siculo non minor igne calor.

Doctor.

Hei Rhadamanthe, animæ profugæ miſerere.

Rhadamanthus.

Trahatur
Hic ubi perpetuus ſtat ſine fine calor.
En adſunt, Lacheſis, præceptores duo.

Lacheſis.

Verum eſt.
Sed tamen haud ſimilis vita utriuſque fuit,

Rhadamanthus.

Quid prior hic ſceleris fecit?

Lacheſis.

De forme relatu,
Afflixit rigidis corpora verberibus.
Hic juvenum ſcapulas mutilavit & oſſa flagellis:
Elicuit rivos ſanguini, ex humeris.
Nec timuit pedibus pueros calcare tenellos,
Nec croceam manibus vellere cæſariem.

Rhadamanthus.

Vera refers?

Lacheſis.

Ego vera cano.

Rhadamanthus.

Præbete catenas,
Ferrea tradantur vincula, lictor ero.

Primus præceptor.

Hei Rhadamanthe, animæ profugæ miſerere.

Rhadamanthus.

Sceleſte.
Audebis veniam quærere? perge miſer.
Clauſus in obſcura barathri fornace latebis,
Fæda veneni ſeri membra trahent colubri.
Per.ephone, hunc rapias tortorē, ac igne peruras.

Ver-

Verbera quæ pueris intulit, ipſe ferat.
Quidnam poſterior præceptor criminis egit,
Atropos?

Atropos.

Eſt fœdis criminibus vacuus.
Hic nunquam pueris inflixit verbera, nunquam
Calcavit pedibus, pertulit aut manibus,
Horruit unguiculis pexos divellere crines,
Quin nunquam rigidas hic tetigit ferulas.
Diſcipulos placido clemens incumbere ludo
Suſtulit, & lautis vivere deliciis.

Rhadamanthus. *Ironia.*

Inter ſemideos igitur requieſcet & altos
Heroas viridi lætus in Elyſio.
Perge igitur: Tua te in pueros clementia ſalvum
Reddit, & æternis perſimilem Superis.
Ambroſia vives, & amicum nectar habebis,
Et Ganymedea vina parata manu.
Hic tu tantiſper nitido requieſce ſedili,
Dum rectum & tetricum clauſero judicium.
Dic, Clotho, quódnam diſpenſator ſcelus egit?

Clotho.

O fera tartareum paſcere digna canem!
Quid ſceleris fecit? non totum tolleret æquor,
Non totus maculas tergeret Oceanus.
Vina propinavit pueris, ſed aquatica: vel quæ
Nec ſitiens unquam Tantalus ebiberet.

Rhadamanthus.

Ergo ſit incluſus cum præceptore maligno,
Et lateat Stygiis obrutus in colubris.

Diſpenſator.

Hei Rhadamanthe, animæ profugæ miſerere.

Rhadamanthus.

Trahatur
Ad metuenda nigræ verbera Perſephones.

Quid

Quid fecit coquus hic, Lachesis?

Lachesis.

Macram dedit offam,
Cui nec erat sapidi parvula mica salis.
Et nummis parcens nullas immiscuit herbas,
Sæpe etiam tetigit fumida flamma cibum.
Præbuit & carnes crudas, & sanguine plenas,
Pisa dedit spurcæ non tribuenda sui.

Rhadamanthus.

Dispensatorem Stygio comitetur in antro,
Et medios inter langueat hic colubros.

Coquus.

Hei Rhadamanthe, animæ profugæ miserere.

Rhadamanthus.

Trahatur

Quò nulla est miseris gloria, nulla quies.
Atropos, & quodnam fecit scelus iste Poëta?

Atropos.

Hic laudis cupiens, ambitiosus erat:
Seque superbifica jactabat voce disertum,
Qui resonum posset vincere Virgilium.

Rhadamanthus.

Cum reliquis igitur fulvas mittatur ad umbras,
Ad Proserpinæ regna cruenta domus.

Poeta.

Grandiloqui, Rhadamanthe pater, miserere Poëtæ.

Rhadamanthus.

Nec Stygios flectunt carmina docta deos.
Ebrius hic etiam reliquos comitetur euntes:
Multi hunc esse liquet participem sceleris.

Ebrius.

Hei Rhadamanthe, animæ profugæ miserere.

Rhadamanthus.

Trahatur

Ad

Ad ſerpentigeræ verbera Perſephones.
Quid ſceleris fecit, Clotho, ſpecioſa puella?
Clotho.
Diſtinxit croceam pectine cæſariem:
Turgida pertenui velavit & ubera lino,
Fucavit faciem, lavit & arte genas,
Ureret ut tali puerorum corda veneno.
Rhadamanthus.
Tartareas igitur rapta ſit in tenebras.
Quid fecit vaſtæ patiens habitator eremi?
Lachęſis.
Nil ſceleris.
Rhadamanthus.
Salvus pergat in Elyſium.
Atropos, hauſtor aquæ quid fecit lixa?
Atropos.
Paravit
Quâ diſpenſator vina perfudit aquam.
Rhadamanthus.
Tu diſpenſator Stygias comes eſto per umbras,
Ut videat quid ſit tingere nectar aquis.
Fatales Parcæ, jam pars abit una laborum,
Perfecta eſt noſtri linea judicii.
Vade igitur dominæ dicturus ſingula morti,
Mors, noſtrum, propera, clauſimus arbitrium.
Mors.
Quot ſunt, quos Erebus rapuit?
Rhadamanthus.
Tot millia.
Mors.
Quot ſunt
Qui campis gaudent ſuaviter Elyſiis?
Rhadamanthus.
Inter tot populos, tot millia, vix duo ſalvi:
Millibus é tantis vix duo ad aſtra volant.

Mors.

Mors.

Qui ſapit ergo, ſuæ ſtudeat memor eſſe ſalutis.

Rhadamanthus.

Qui ſapit, incertæ conſulat ergo animæ.

FINIS.

Epitaphium Philippi Halenini Equitis Aurati, primo die nuptiarum ab equo ſternace interfecti. Interlocutores, Viator & Mors.

Viator.

QUæ lapidum moles hic ſurgit in aëra?

Mors.

Scio Extremam humani corporis eſſe domum.

Viator.

Et quæ peſtiferis armata virago ſagittis,
Contracto caperans ora ſupercilio?

Mors.

Mors inſperatus fugitivi terminus ævi,
Cuncta venenata corpora falce metens.

Viator.

Quid, quæſo, terricæ notat inclementia frontis,
Aut quid depreſſi ruga ſupercilii?

Mors.

Quó nullis moveat, precibus.

Viator.

Quid flexilis arcus?

Mors.

Me jaculatrici mittere tela manu.

Viator.

Quid terræ cumulus tibi proximus?

Mors.

Hanc ego cryptam,
Hanc foveam cunctis præparo corporibus.

Via-

Viator.

Et ſi quis turres habitarit, & aurea caſtra,
Hunc ne teget modico tam brevis urna loco?

Mors.

Conteget.

Viator.

Et quid agent famuli? dominóne cadenti
Suppetias poterunt tradere?

Mors.

Non poterunt.

Viator.

Quem tegis hic aſtans?

Mors.

Haleninus rupe Philippus
Clauditur, & vermi nunc datur eſca ſuo.

Viator.

Quiſnam Haleninus?

Mors.

Eques, pugna præclarus, & armis
Inſignis, modicos vertitur in cineres.
Ornatus magnis opibus tituliſque parentum,
Privatus titulis, clauditur hoc ſcopulo.

Viator.

Magnus erat bello, nunquid?

Mors.

Fuit optimus armis,
Promptus ad armiferi bella cruenta Dei:
Quingentos habuit pedites, queis præfuit, & quos
Audita primus traxit in arma tuba.
Sub patris inſigni Venetum certavit in hoſtem,
In campis pariter Brixia capta tuis.
Certantem oppreſſæ viderunt caſtra Ravennæ,
Certantem Brigidæ vidit acerba dies.

Viator.

Cur tua tela igitur non flexit bellica virtus,
Armaque Cecropiæ ſanguinolenta deæ?

Mors.

Mors.

Cur mea tela igitur non flexit bellica virtus?
Quem ſalvum Herculeo proſpicis eſſe animo?
Huic potero æternæ tempus concedere vitæ,
Parcere quæ Phrygio non volui Priamo?
Huic ego vulnificas timeam vibrare ſagittas,
Quæ nequeo magnis parcere Cæſaribus!
Hector ubi eſt, ubi nunc Trojæ populator Achilles,
Spartanæ petulans, nunc ubi prædo Helenæ?
Aut ubi Lernææ truncator claviger Hydræ,
Et duo bellorum fulmina Scipiadæ?

Viator.

Num claros habuit proavos claroſque parentes?

Mors.

Egregia generis nobilitate fuit.
Namque Halenînus erat pater huic Lodoicus & armis
Clarus, & immenſis divitiis opulens.
Cui modò rectori ſpacioſa Picardia ſervit,
Quique etiam aurati gaudet honore Equitis,
Chiſtella de progenie fuit inclyta mater,
Conſpicui fratres vita & honore duo.
Quorum alter proprio Franciſcus nomine præſul
Moribus excellens Ambianenſis erat,
Alter Joannes.

Viator.

Generis cur ergo ſuperba
Nobilitas nequit eripuiſſe virum?

Mors.

Lanificas nihil eſt, quod poſſit flectere Parcas:
Quod mortis valeat flectere tela, nihil.

Viator.

Quod fati genus incurrit?

Mors.

Mirabile dictu.
Hoc Libicis lachrymas tigribus excutiat:

Hoc

Hoc immanſuetis rabiem deponeret urſis,
Manſuetos etiam redderet iſtud apros.

Viator.

Dic igitur, nec me diuturnâ ambage moreris,
Noſſe lubet tanti fata finiſtra viri.

Mors.

Dum choreas alacres celebraret ludicer Hymen,
Contraheretque novi fœdera conjugii.
Dum teneræ canerent ſponſa ridente puellæ,
Plauderet & lætis tota caterva jocis:
Regia & auratas onerarent fercula menſas,
Et Ganymedea vina paratâ manu:
Dum canerent citharæ, dũ ſtridula plectra ſonarent,
Et gratum efferrent organa tacta melos:
Ecce inter choreas, clarorum turba virorum,
Lætitiam mir*is* accumulabat equis:
Inter quos toto ſuper aſtans vertice, ſponſam
Oblectant nitidâ veſtæ Philippus erat.
Qui quum cornipedem reſilire per aëra ſaltu
Cogeret, & plantis ſurgere fulmineis:
Erectum fortaſſis equum ſtimulavit: ac ille
Suppoſito in tergum mox cecidit domino,
Sic ſternacis equi ſella confoſſus, & amplo
Corpore, & auratis implicitus phaleris,
In lachrymas vertit choreas, ſponſæque jocanti
Pro thalami ludis attulit exequias,
Vidiſſes teneras fletu maduiſſe puellas,
Et laxam manibus vellere cæſariem:
Vidiſſes lautis auferri fercula menſis,
Quemque ſerenatas dilaniare genas,
Quæque prius pictis radiaverat aula tapetis,
Fulſerat & lectis undique lampadibus:
Attritis pannis momento nigruit uno,
Totaque diffuſis emaduit lachrymis.
Flevit Hymen ſparſos Charites traxere capillos:
Mœſtarum gemuit cetus Hamadryadum.

Quin

Quin etiam tacuere tubæ, clypeoque retecto,
Mars inſperatis præfuit exequiis.

Viator.

Cur igitur lachrymis te nõn movere puella,
Aut lachrymoſarum fletus Hamadryadum?

Mors.

Nec lachrymis nec blandiciis mors dura movetur,
Exuat ut rigidam pectore duritiem.

Viator.

O mors corporibus quàm dira venena propinas,
O quantum inſanæ tu feritatis habes!
Non te forma movet, nec virtus bellica flectit,
Innumeræ nequeunt flectere divitiæ:
Nec te virtutum dotes, generiſque ſuperba
Nobilitas, nec vis corporis ulla movet:
Quo minus occultis abſumas quemque ſagittis,
Æqualem aut facias regibus agricolam.
Felicem hunc igitur, felicem dixero, quiſquis
In mortem vigiles protrahit excubias.
Qui tranſis igitur fati memor eſto ſupremi,
Certa eſt mors, mortis te tamen hora latet.
Hoc ſatis, hic ſtanti precibus ſuccurre Philippo,
Ores, ut longâ pace quieſcat, Amen.

FINIS.

Dialogi perſonæ ſunt, *Rumor malus, Concordia, Bonum commune, Gallia, Hymen, Anglia, Prædo.*

Rumor malus.

CUr modò non ſerpunt veteris contagia belli?
Auguſti ne dies redeunt, an prima quieti
Secula Saturni? Quid agunt furor, ira, feroxque
Impietas, Martis comites? ubi tela ſagittæ,

Mucro-

Mucrones, clypei? cur, inquam, pace quiescunt
Omnia: & Europæ regio sine sanguine dormit?
Et quòd præteriti nutrice incendia belli
Gallia destiterit, quodque Anglia Marte relicto
Venerit ad pacem, subit admiratio major,
Quàm si blanda lupo colluderet agna, lepusque
Jejuno sua terga cani committeret, ohe!
Et quid id est: Pol quicquid inops plebecula dicat,
Quicquid & affirment homines: ego stirpitus omnes
Armorum & belli non credo quiescere motus,
Quin damnosa aliquas dimiserit ira favillas.
Propterea dum restat adhuc scintilla furoris,
Expedit iratis dare belli cornua Gallis,
Et stimulos Anglis, ne pacis fœdera jungant.
Gallia cur dormis? tibi præparat Anglia fraudes.
Anglia cur dormis, fallax tibi Gallia multas
Præparat insidias, quid agis stulta Anglia? Galli
Sceptra tui penitus satagunt evertere regni.
Gallia stulta jaces? Angli jam carbasa tendunt,
Ut vicina tuæ copulentur mœnia gentis.
Gallia junge tibi Helvetios, habet Anglia Mauros
Anglia habet Turcas, junxit sibi Gallia Persas.
Gallia, centum equitum sunt Anglis millia, fas est
Ut quingenta tibi peditum sint millia: Surgas
Anglia: nam Galli venient tua templa domosque
Funditus evertent, nulli sua proderit ætas:
Gallia surge, adsunt multis cum millibus Angli.
Ut populum interimant, rapiant ærariа divum,
Relliquias spolient, sacraria & omnia furto,
Et furiorum frendentes more leonum,
His certum est abolere tuæ templa omnia terræ.
Mortem decrepitis intendere stupra puellis,
Omnia vel flammis aut omnia perdere ferro.
Heu nimis imprudens & talpa cæcior omni
Gallia! quid recubas? Angli tua lilia quærunt,
Te probris lacerant genuino vulnere rodunt.

Esu-

Eſuriuntque tuæ gentis potare cruorem:
Nec tamen ulciſci curas, ulciſcere demens.

Concordia.

Vade malis avibus fallax & peſſime rumor,
Diique deæque omnes ſubito te fulmine perdant.
Nónne vides Commune bonum: quæ ſemina litis,
Quæ commenta malus rumor, quas cogitet artes:
Dum venit ad Gallos fallacem prædicat Anglum:
Dum comes eſt Anglis de Gallo turpia cantat.
Ut vanis populus verbis animatus uterque
In bellum redeat, nec pacis fœdera curet.

Bonum commune.

Felices, & jure ſoror Concordia, reges
Dixero, quum vanis populi rumoribus aures
Occludunt.

Concordia.

Rumor populi malus omnia fingit.

Bonum commune.

Omnia mentitur.

Concordia.

Reges impellit ad iram.

Bonum commune.

Suſcitat arma.

Concordia.

Odium conflat.

Bonum commune.

Belli invenit artes.

Concordia.

Ingenerat rabiem ducibus.

Bonum commune.

Regna omnia terret.

Concordia.

Non patitur dormire duces.

Bonum commune.

Non creſcere regum
Divitias.

Concordia.

Vadit,

Bonum commune.

Remeat.

Concordia.

Phantaſmata fingit.

Bonum commune.

Nunc dicit.

Concordia.

Modò dicta negat.

Bonum commune.

Nunc verba recantat.

Concordia.

Felices igitur reges, quos rumor iniquus
Non movet, & ſemper clamoſi murmura vulgi!

Bonum commune.

Dum reges in pace manent, rumor petit arma.

Concordia.

Et dum bella movent, commendat tempora pacis.

Bonum commune.

Dum pax cuncta fovet, dicit torpeſcere reges,

Concordia.

Si gladios arment, ait ambitione moveri.

Bonum commune.

Heu populum incautum!

Concordia.

Populum ratione carentem!

Bonum commune.

Pace quid utilius?

Concordia.

Miſeris quid durius armis?

Bonum commune.

Pace vigent urbes.

Concordia.

Rumpuntur mœnia bello.

Bonum commune.

Pace augentur opes.

Concordia.

Minuuntur tempore belli.

Bonum commune.

Pax homines nutrit.

Concordia.

Quod pax alit, arma trucidant.

Bonum commune

Pace ferax terra eſt.

Concordia.

Sterileſcit tempore belli.

Bonum commune.

Organa pace ſonant.

Concordia.

Et claſſica tempore belli.

Bonum commune.

Pax manet in cantu.

Concordia.

Bellorum tempora planctu.

Bonum commune.

Pax alitur riſu.

Concordia.

Paſcunt ſuſpiria bellum.

Bonum commune.

Gaudia pace ſonant: & triſtia pace recedunt.

Concordia.

Bella madent lachrymis, & bella triſtia ſurgunt.

Bonum commune.

Pax nutrit ſegetes.

Concordia.

Meſſis non creſcit in armis.

Bonum commune.

Pax onerat terram populis.

Concordia.

Et bella ſepulchris.

Bonum

Bonum commune.

Nullus pace timor.

Concordia.

Timor undique tempore belli.

Bonum commune.

Pax eſt fraudis inops.

Concordia.

Fraus eſt comes unica belli.

Bonum commune.

Dum pax eſt populis, tum creſcit copia rerum.

Concordia.

Dum bellum eſt populis, oritur penuria rerum.

Bonum commune.

Pace vigente caſas habitat ſecurus arator.

Concordia.

Nemo eſt in caſtris ſecurus tempore belli.

Bonum commune.

Quid Babylonis opes auxit? Concordia.

Concordia.

Demum

Quid Babylonis opes fregit? Diſcordia.

Bonum commune.

Romæ

Quid tot ſubjecit populos? Concordia.

Concordia.

Romam

Quid tot magnificis potuit ſpoliare triumphis?

Bonum commune.

Factio.

Quid Trojam excoluit? Concordia.

Concordia.

Trojam

Quid pariter rupit? violenti ſemina belli.

Bonum commune.

Felices igitur populi, qui pace fruuntur.

Concordia.

Et miſeros itidem populos, quos arma fatigant.

Bonum commune.

Dic ergo germana mihi Concordia, nunquid
Terque quaterque etiam felix foret Anglia, felix
Gallia, ſi gentem pax firma ligaret utramque.

Concordia.

Felix, alme Deus, felix foret Anglia, felix
Gallia.

Bonum commune.

Nos igitur populum ſtudeamus utrumque
Jungere, & ad ſolum ſtudium connectere pacis:
Gallia liligera ſalve redimita corona.

Gallia.

Tu ſalve Commune bonum, Concordia ſalve.

Concordia.

Gallia, dic quid habes animi?

Bonum commune.

Quid mente volutas?

Gallia.

Dum mecum ærumnas, ſtrages, homicidia, fletus
Bellorum meditor, dum quanti in Marte furores,
Quanta ſit armorum feritas: tota ardeo, tota
Diſtillo in lachrymas, quòd corpora tanta, tot inquam
Cervices gladio pereant, & fulmine belli
Tot videam reſupina cadavera defunctorum.

Concordia.

Expedit ut Regno pacem populoque reducas.

Gallia.

Quæro etiam Regno populoque reducere pacem,
Sed quo more?

Bonum commune.

Habeas vicinos ſemper amicos.

Gallia.

Quos?

Con-

Concordia.

Anglos.

Bonum commune.

Gallis ſi junxerit Anglia fœdus,
Et ſemper populum pax firma ligarit utrumque,
Utraque gens omnes poterit componere leges.

Gallia.

Hoc mihi conſilium gratum eſt: nunc ſcire juvabit,
Quis modus, aut ratio Gallis conjunxerit Anglos,
Et Gallos Anglis.

Concordia.

Creſcit tibi parvulus infans,
Anglorum regi eſt & parva puella, Britannæ
Fas eſt infantem Gallum ſociare puellæ,
Sic coaleſcet amor patribus, vincloque futuri
Conjugii, creſcent diuturnæ fœdera pacis.

Gallia.

Utile conſilium: ſed quis mihi nuncius?

Bonum commune.

Hymen,
Hic ſolus firmos novit conjungere nexus
Connubii, & ſolus tædas inire jugales.

Gallia.

Vade ergo genialis Hymen gentemque potentem
Anglorum noſtra jucundus voce ſalutes.
Quære, velit ne meo parvam ſociare puellam
Franciſco, ut regno pax longa inſurgat utrique,
Nec timeat, ne noſtra fides mutata recedat.
Nam prius hoc corpus terræ deglubat hiatus,
Quàm ſemel acceptæ violem data fœdera pacis.

Hymen.

Vado igitur. Salve eximiis præclara triumphis
Anglia, divitiis opulens, aptiſſima bellis,
Nobilis argento, prædonum ignara luporum,
Frugiferax, ſylvis umbroſa & ſtridula ramis;

Plena bonis, lanis locuples & fertilis auro;
Gallia mater opum frugum ſuaviſſima nutrix,
Juſtitiæ columen, veræ pietatis aſylum,
Copia cunctarum rerum, clariſſima lampas
Virtutum, roſa terrarum, dea divitiarum,
Altera frumentis Libya prædives olivis,
Perſia aromatibus, precioſo Tænarus oſtro:
Hybla favis, Erimanthus apris, Gorthyna ſagittis,
Argos equis, Babylon aulæis, Corſica gemmis,
Ægyptus calamis, coſto India, & Ida cupreſſis,
Fictilibus vaſis Ephyre, Mauruſia citro,
Floribus Æthna, herbis Epirus, Erythra lapillis,
Marmore Taygetus, nucibus Thaſos, Ilua metallis,
Cunctarumque parens rerum te voce ſalutat.

Anglia.

Gallia cur, quæſo, fauſtâ me voce ſalutat?

Concordia.

Vult tecum æternæ connectere fœdera pacis.

Anglia.

Et quod pacis erit vinclum?

Hymen.

Rogat, ut tua præſtans
Filia, quæ Veneris digitos, Helenæque capillos,
Et faciem auroræ ſuperat, riſumque Dianæ,
Franciſco nubat Delphino: copula tanti
Connubii regno diuturnum fœdus utrinque
Afferet, & longâ populos in pace tenebit.

Anglia.

Et cur nobiſcum vult Gallia jungere fœdus?

Concordia.

Cur? varia eſt ratio: prima eſt, vicinia regni.

Bonum commune.

Vos brevis à noſtra ſejungit portio terræ,
Separat & modicus limes.

Hymen.

Duo regna propinqua

Si

Si certant odiis, quid barbara, quidve remotæ
Efficiunt?

Concordia.

Nos præterea morum, populique
Impellit paritas.

Bonum commune.

Itali sunt corpore macro
Et gestu pleni.

Hymen.

Germani corpore longo,
Extensisque humeris.

Concordia.

Tumefacto ventre bibaces
Helvetii.

Bonum commune.

Nigra facie nigroque capillo
Hispani.

Hymen.

Gallis albus color atq; Britannis,
Membrorumque decens modus.

Concordia.

Est chariſſima Gallis
Religio.

Bonum commune.

Est etiam vicinis chara Britannis.

Hymen.

Proditione carent Galli,

Concordia.

Simul atque Britanni.

Bonum commune.

Galli venatu gaudent.

Hymen.

Itidemque Britanni.

Concordia.

Gallis Rex juvenis, regno tamen aptus & armis.

Bonum commune.

Anglis rex juvenis, prudens tamen & bonus armis.

Hymen.

Gallia in occasum vergit.

Concordia.

Simul Anglia.

Bonum commune.

Galli

Sunt homines vacui fuco.

Hymen.

Caret Anglia fuco.

Concordia.

Gallia alit multas segetes.

Bonum commune.

Alit Anglia fruges.

Hymen.

Gallia habet lanas.

Concordia.

Pretiosas Anglia lanas.

Bonum commune.

Hæc plena est herbis.

Hymen.

Illa est viridissima pratis.

Concordia.

Parturit hæc flores.

Bonum commune.

Violas habet illa decoras.

Hymen.

Exultant choreis Galli.

Concordia.

Lætantur & Angli.

Bonum commune.

Utuntur Galli jaculis.

Hymen.

Utuntur & Angli.

Con-

Concordia.

Francia terra potens armis,

Bonum commune.

Valet Anglia bello.

Hymen.

Gallis forma decens.

Concordia.

Clara eſt forma Britannis.

Bonum commune.

Hæc duo perpetuo ſi fœdere Regna quieſcunt,
Quis dominus, quis rex, quis princeps dicere verbũ
Audeat, & tumidas aliquantum tollere criſtas?

Hymen.

Anglia nunc igitur meditare quid utile factu
Eſſe putes, Regi ut celeres tua dicta feramus.

Anglia.

Ite, & liligero Regi gratum mihi fœdus
Dicite, & ut Regno ſocialis nexus utrique
Æternam pariat pacem, mea filia veſtro
Nubat Delphino, ſic pax coaleſcet, utrinque
Accedet. Sic pax populum ſervabit utrumque.

Hymen.

Gallia te noſtris verbis formoſa ſalutat
Anglia, lætaturque tui de fœdere pacti:
Promittitque fidem qualem nec ſecula norint
Prima, nec ætatis venturæ poſtera noſcent.

Gallia.

Clamet io populus.

Bonum commune.

Plebs verberet ærea cantu.

Concordia.

Pax rediit populis.

Gallia.

Nunc omnia Regna quieſcunt.

Prædo.

Ah prædo, quid agam? me bella antiqua fovebant,

Gallica dum signis certabant signa Britannis,
Pascebantque meas aquilas furta, atque rapinæ:
Nunc quia pax rediit, quia bella antiqua recedunt,
Latranti esuriens patiar jejunia ventre.

FINIS.

Hujus Dialogi Interlocutores sunt, Tres Epicuri, Morbus, Dæmon, Angelus, & Mundus.

Incipit secundus Epicurus.

UNde fit ut brevibus pareant ingentia causis,
Attritisque cadant mœnia marmoribus?

Tertius Epicurus.

Unde fit ut quondam Cœloque Jovique propinquas
Verna ruinosas nunc tegat herba domos?

Secundus Epicurus.

Unde fit ut subitæ Babylon subjecta ruinæ
In modicos cineres jam resoluta cadat?

Tertius Epicurus.

Unde fit ut refluo Memphis contermina Nilo
Præcipitis casum viderit exitii?

Secundus Epicurus.

Unde fit ut Pharii turris prænuntia portus
Decidit, & Danais Troja perusta rogis?

Tertius Epicurus.

Unde fit ut Ninivem carioſa attriverit ætas.
Abstulerint Libycam tempore metropoliis?

Secundus Epicurus.

Unde fit ut factas lyrico modulamine Thebas,
Temporis annosi ruperit una dies?

Tertius Epicurus.

Cur doctis Pallas prodesse nequivit Athenis?
Cur non Dardaniæ profuit alma Venus?

Secun-

Secundus Epicurus.

Cur non Juno ſuæ juvit Carthaginis arces,
Ne Didonis opus Scipio dirueret?

Tertius Epicurus.

Unde ſit ut tacitas lacerarit tempus Amyclas?
Aut quid Sparta ſuis legibus orba jacet?

Secundus Epicurus.

Dic Epicure?

Tertius Epicurus.

Tuæ referas mihi ſcrinia mentis.

Secundus Epicurus.

Quid pereunt rapidis omnia temporibus?

Tertius Epicurus.

Cur homo divitiis ſpoliatur, frondibus arbos?

Secundus Epicurus.

Torrida ramoſis vinea palmitibus?

Primus Epicurus.

Nam corruptibilis quicquid natura creavit,
Materiæ ſubitum currit ad interritum.
Materiæ corruptibilis ſunt infima rerum
Corpora, ſic ſenſim deperitura cadunt.
Nam quid homo eſt, animæ incertum, niſi putre cadaver,
Quod citò jejunis vermibus eſca datur?
Quidve humana caro, niſi quædam terrea moles,
Quæ fugiente anima mortua tota cadit?
Hoc caput, hi crines, hæc frons, cervixq; manuſque,
Hæ miſeri partes corporis intereunt.

Secundus Epicurus.

Poſt mortem quid homo eſt?

Tertius Epicurus.

Nil eſt niſi terrea moles,
Terrea, quæ bullæ more tumentis abit.

Secundus Epicurus.

Ergo Philoctete lachrymas quid fundere prodeſt?
Et gemuli queſtum ſpargere in ora viri?

Epicurus.

Nil prodeſt.

Tertius.

Dubiis quid rodere pectora curis?

Epicurus.

Nil juvat.

Secundus.

Effuſas dilaniaſſe comas?

Epicurus.

Nil ſervit.

Tertius.

Faciem manibus rapuiſſe cruentis,
Et miſeris viſum tollere luminibus?

Epicurus.

Nihil itidem prodeſt.

Secundus.

Homini quid credis agendum,
Si lachrymis ſtudeat parcere, quid faciat?

Epicurus.

Æoliis pereat cùm vita rapacior Euris,
Et Jovis irati fulmínis inſtar eat:
Conſulerem æterno vitam conſumere ludo,
Et madidis lachrymas eripuiſſe genis.
Aſſiduaſque gravi noctes tranſire Falerno,
Spargereque immiſſis dulce cubile roſis.
Conſulerem redimire comas, implere capillos
Unguento, & niveis comere pectinibus.
Conſulerem niveas digitis imponere gemmas,
Aſſiduiſque gulam paſcere deliciis.
Suaderem celebrare jocos, ſervire puellis,
Et lateri dominæ compoſuiſſe latus.

Secundus.

Quid ſublime bonum tibi cernitur eſſe?

Epicurus.

Voluptas.

Ter-

Tertius.
Utiliúsne aliquid ?
Epicurus.
Nil reor utilius.
Secundus.
Cùm nihil ergo juvet mentem consumere curis,
Et manibus fusas dilaniare comas :
Nec profit stomachum rudibus contundere pugnis,
Aut gemulas lachrymis immaduisse genas :
Quid non ergo jocis, vino, ludisque vacamus,
Concutimusque novis aëra carminibus ?
Tertius.
Cùm vaga silvifragis sit vita rapacior Euris,
Et Jovis irati fulminis instar eat :
Quid non Orpheis concentibus aura redundant ?
Quod perit, hoc vacuum fletibus esse decet.
Secundus.
Quidnam discipulis suades Epicure ?
Epicurus.
Canamus,
Mobilibus digitis organa tacta sonent.
Cantus.
Audi Bacche pater, famuli tibi vina propinant,
Argutisque tibi cantibus aula sonat.
Epicurus.
Quid ludo melius ?
Tertius.
Quid risu suavius unquam
Extitit, aut hilari nobilius genio ?
Secundus
Qui gaudet, spernit dubiæ contagia mortis,
Nec timor extremi hunc percutit exitii.
Epicurus.
Qui flet, inexhaustis rodit præcordia curis,
Infernisque parat manibus inferias.

Ter-

Tertius.

Qui ridet, ſpernit creperi diſcrimina belli,
Clangere tortilibus non pavet arma tubis.

Secundus.

Qui luget, ſemper lachrymis humectat ocellos,
Nec ſpecioſa vagi lumina ſolis amat.

Epicurus.

Qui rider, tacitus pulſis agit ocia curis,
Tempora perpetuæ grata quietis habet.

Tertius.

Qui dolet, inviſæ mœſtiſſima tædia vitæ
Suſtinet, & miſeræ vulnera mortis amat.

Secundus.

Qui canit expertes, mœroris perficit annos,
Ridibiliſque tenet gaudia Democriti.

Epicurus.

Ergo licet ſubitum ludis abſumere corpus.

Tertius.

Ergo licet lautis vivere deliciis.

Secundus.

Ergo animum curis qui vexat inanibus, errat.
Tutius eſt lætis incubuiſſe jocis.
Quidnam diſcipulis ſuades Epicure?

Epicurus.

Canamus,
Mobilibus digitis organa tacta ſonent.
Flet Boreas.

Tertius.

Spiret Zephyrus.

Secundus.

Sua fulmina mittat
Jupiter.

Epicurus.

Aëriam jaculis perterreat Oſſam.

Tertius.

Æoliis Zephyros patiatur abire cavernis

Hip-

Hippotades.

Secundus.

Agitent concussi Nerea venti,
Bile Dei tumeant.

Epicurus.

Neque enim lætissima turba
Curamus summumque Jovem divosque beatos.

Tertius.

Porrectis pedibus dormimus.

Secundus.

Pectora curis
Immutata vacant.

Epicurus.

Facimus trieterica Baccho.

Tertius.

Tranquilli canimus, læti quoque vivimus.

Secundus.

Omnes
Vivimus expertes famis, & sitis.

Tertius.

Ocia semper
Ducimus.

Secundus.

Ac hyemes contemnimus.

Epicurus.

Et Jovis iras
Spernimus.

Tertius.

Internas nam quid cruciare medullas
Profuerit curis?

Secundus.

Stomachum quid rumpere pugno?
Dic Epicure parens, nunquid speciosa voluptas
Est homini sublime bonum?

Epicurus.

Sublimius ullam

Esse nequit : Nam cùm subitis peritura diebus
Vita fugit, titubatque annis pereuntibus ætas,
Et mortalis homo nihil est nisi terrea moles,
Terrea, quæ tandem vermi datur esca supino,
Quid querelo tempus subitum consumere luctis
Proderit, aut fibras miseris absumere curis ?

Tertius.

Quidnam discipulis suades Epicure ?

Epicurus.

Canamus,
Mobilibus digitis organa tacta sonent.

Morbus.

Turba relinque jocos, & nullis organa pulsent
Cantibus : indultum satis est ludisque jocisque,
Sat Veneri genioque datum : nocturna Lyæi
Orgia prætereant : aliis libamina fas est
Ponere numinibus, reliquasque frequentius aras
Excolere, & veteris mores expellere vitæ.
Mortales, alia ex aliis in fata vocamur,
Discendant Veneres, abeant convivia, risus
Filioli lateant, immixtaque basia ludis,
Permixtusque joco Bacchus : quid enim organa prosunt ?
Quid Venus ? in teneris impressaque basia labris ?
Quidve puellaris nurus, quid risus amantum,
Aut collativi sanios repletio ventris ?
Aut visi speculo crines, facieque peructa
Unguento, in digitis veluti carbunculus ardet ?
Turba relinque jocos, & nullis organa pulsent
Cantibus : indultum satis est ludisque jocisque,
Desistas Epicure pater Veneriscque Lyæique
Haud meminisse juvat.

Epicurus.

Quid non meminisse juvabit ?

Morbus.

Expedit extremæ meditari tempora vitæ.

Pri-

Primus.

Et quid profuerit curare noviſſima vitæ
Tempora ?

Morbus.

Profuerit, ſupremum reſpice finem.

Epicurus.

Cùm periturus homo nihil eſt niſi putre cadaver
Poſt obitum, duris annos corrodere curis
Quid juvat ?

Morbus.

Inſanæ diſcedat opinio mentis.
Vitalis ſubitum corpus dum vita relinquit,
Cum fœdis ne putas animas diſcedere membris ?

Epicurus.

Cenſeo.

Morbus.

Deciperis, vivunt poſt corpora.

Epicurus.

Vivunt !
Si vivant, quid agunt ?

Morbus.

Vel ſyderis atria ſcandunt,
Aut ſurvis clauſæ tenebris tormenta ſequuntur.

Epicurus.

Quæ ſunt, quæ clauſæ tenebris tormenta ſequuntur ?

Morbus.

Queis virtus odioſa fuit.

Epicurus.

Quæ ſyderis aulam
Conſcendunt ?

Morbus.

Scelerum expertes.

Epicurus.

Quid obeſſe voluptas
Blanda poteſt ?

Morbus.

Hominem mœstas detrudit ad umbras.

Epicurus.

Verva moves lapidi.

Morbus.

Lapidi quid verba movemus?

Epicurus.

Quæ memoras gerris Siculis leviora putamus.

Morbus.

Quid nugis leviora putas?

Epicurus.

Quòd blanda voluptas
Eſt homini ſublime bonum.

Morbus.

Reſipiſcere nunquam
Incipies?

Epicurus.

Nunquam.

Morbus.

Subita tibi morte cadendum eſt,
Mors jubet ut rapidis fodiam tibi viſcera telis.

Epicurus.

Veráne tu narras?

Morbus.

Veriſſima morte cadendum eſt.

Epicurus.

Quàm citò?

Morbus.

Nunc primum.

Epicurus.

Sed quid differre nocebit?

Morbus.

Mors differre vetat.

Epicurus.

Vetat? ô ſententia præceps!
Sed quis tu?

Mor-

Morbus.

Morbus, qui termino cuncta dolore.

Epicurus.

Permittas annis saltem majoribus uti,
Si placet.

Morbus.

Armigeræ nulla est dilatio morti.

Epicurus.

Si placet.

Morbus.

Obtusas non si mihi ruperis aures,

Epicurus.

Si placet.

Morbus.

Assiduis precibus non si tibi fibras
Ruperis: hunc nostri fatalem vulneris ictum
Accipe, tartareas propera moribundus ad umbras,
Nunc discas quid consilio illusisse salubri
Profuerit, quid & illicitis incumbere ludis.

Tertius.

Heus Pylades, cernisne Epicurum occumbere?

Secundus.

Cerno.

Tertius.

Sed quid ais?

Secundus.

Stupeo.

Tertius.

Quid tandem credis agendum?

Secundus.

Ignoro.

Tertius.

Videas, moritur.

Secundus.

Vox faucibus hæret.

Tertius.

Tertius.

Quæramus quid agat.

Secundus.

Quæramus: docte magister,
Hei quid agis, dormisne parens Epicure? resurgas.

Tertius.

Magne parens Epicure taces? Epicure resurgas.

Epicurus somnians inquit.

Arma sonant, cultor componit aratra juvencis,
Adsunt Helvetii, rumpuntur mœnia, vinum
Porrigite, & manibus clypeos imponite, fas est
Depositо fletu lautis incumbere mensis.

Tertius.

Hei Pylades, quid ait?

Secundus.

Vacuo fantasma cerebro
Hunc rapit: & quid agat nescit.

Epicurus somnians.

Properate ministri.

Tertius.

Somniat.

Epicurus somnians.

Horrendis veniens armata flagellis
Nunc Bellona fremit, nunc mugit taurus in agro:
Rex ero.

Secundus.

Quid, quæso, memoras Epicure? relinquas
Somnia, tolle oculos, veteres non noscis amicos?

Epicurus somnians.

Ibo, ibo, & plenis imponam mira canistris,
Et nigris nivibus montes onerabo.

Tertius.

Magister,
Aspice nos.

Epicurus somnians.

Armenta sequar, multoque sagittis

Inte-

Interimam, & rudibus ſtellæ ſeindentur aratris.
Secundus.
Præceptor, quid agis?
Tertius.
Fantaſmata vana relinquas,
Ad cœlos extolle animum, meditare parumper,
Qui nos, qui cœlum, qui cuncta elementa creavit:
Et ſcelerum veniam poſcas.
Secundus.
Epicure, quieſcis?
Non loqueris? mutúſne manes?
Tertius.
Exſpirat. Jeſu!
Dic Epicure Pater noſter, dic, Optime Chriſte.
Secundus.
Dic Miſerere mei. Moritur.
Tertius.
Miſerere: Nequiret
Affari.
Secundus.
Tenues animam nunc efflat in auras,
Mortuus eſt.
Tertius.
Periit.
Secundus.
Jam ſpiritus oſſa reliquit.
Tertius.
Heu Pylades.
Secundus.
Quid ais?
Tertius.
Videas cacodæmona nigris
Cornibus elatum?
Secundus.
Miſerere redemptor Jeſu.
Quid petit?

Ter-

Tertius.

Infernas animam detrudere ad umbras.

Secundus.

Quis contrà niveo incedit velatus amictu?

Tertius.

Angelus æthereis, ut opinor, missus ab astris,
De præda subitò confliget uterque ferenda.

Dæmon.

Quisquis es, indutus niveo qui pergis amictu,
Siste gradum, reprimasque pedem, ne accedere pergas,
Ne propius forsan pigeat venisse.

Angelus.

Recedas,
Belua tartareis veniens emissa cavernis.

Dæmon.

At tu cœlesti properes qui mitteris aula.

Angelus.

Quid petis hic?

Dæmon.

Epicuri animam.

Angelus.

Violenta recedas,
Belua, vel justum quod inest utrinque geratur,
Ostendas sceleris quidnam commiserit.

Dæmon.

At tu
Ostendas, dignum quid laude peregerit olim.

Angelus.

Multoties inopem nummis nutrivit egenum.

Dæmon.

Sacrilegis manibus decies delubra Deorum
Deripuit.

Angelus.

Decies mendicis contulit aurum.

Dæ-

Dæmon.
Undecies voluit patrem jugulare veneno.
Angelus.
Servivit Superis.
Dæmon.
Sed Divos sprevit & omnes
Cœlicolas.
Angelus.
Duxit peregrinos sæpe vagantes.
Dæmon.
Incestum decies nota cum matre peregit.
Angelus.
Quatuor hospitio miseros donavit egenos.
Dæmon.
Corpus adulteriis ter mille infecit.
Angelus.
Honorem
Exhibuit doctis.
Dæmon.
Ignaros sæpe fefellit.
Angelus.
Multoties vacuo tenuit jejunia ventre.
Dæmon.
Ebrius undecies propriam stuprare sororem
Non timuit.
Angelus.
Falsum est, sæviſſima belua.
Dæmon.
Verum est.
Angele, conspicias nostris inscripta papyris
Hæc documenta fidem perhibent.
Angelus.
Se semper amicis
Præstiterat fidum.
Dæmon.
Patrem quater arere flammis.

Infensus studuit.

Angelus.

Dilectos juvit amicos
Munificis manibus.

Dæmon.

Ter fratribus intulit arma.

Angelus.

Justitiam colluit cultor verissimus æqui.

Dæmon.

Latronum semper coluit commercia.

Angelus.

Falsum est,
Belua.

Dæmon.

Conspicias nostris inscripta papyris
Hæc documenta, fidem perhibent.

Angelus.

Quater obtulit armis.
Et morti corpus, patriæ stimulatus amore.

Dæmon.

Mille meretrices habuit, quas ære paterno
Nutrivit.

Angelus.

Sacros altaribus obtulit ignes.

Dæmon.

Sæpius immensi fuit olim prodigus æris.

Angelus.

Hic clemens fuerat.

Dæmon.

Fuerat fastibundus honoris.

Angelus.

Indoctos docuit.

Dæmon.

Lenones mille fovebat.
Pluribus & quid opus fuerit confligere verbis?
In sacris natam decies stuprare sacellis.

Non

Non timuit, decies pueros inducere furto,
Et pro re nihili vitam committere ventis:
Undecies ter perjurum se præstitit ipsis
Judicibus, semper lingua detraxit iniqua
Vicinis, gaudens alienam rodere famam.
Non mihi si centum fuerint in corpore linguæ,
Innumeros scelerum cumulos patefacero longis
Temporibus

Angelus.

Fallax mentiris belua.

Dæmon.

Nunquam
Mentior: inspicias nostris inscripta papyris
Hæc documenta fidem perhibent.

Angelus.

Obstare nequirem,
Cùm scelerum numerus virtutum vincat acervos,
Hanc animam rapias.

Dæmon.

Procede miserrima, perge
In tenebras, luctum, lachrymas, tormenta, colubros,
Ad furias, æstúmque, hyemesque, sitimque famemque,
Ad furcas, laqueos, stridorem dentium, ad ignes.

Epicurus.

Væ væ væ væ væ væ væ væ mihi væ væ,
Væ matri quæ me peperit, væ væ tibi nutrix
Quæ me lactasti, væ mammis quas ego suxi,
Væ patri qui me genuit, væ denique stellis
Quæ mihi fulserunt, væ Soli qui mihi lumen
Fudit, væ pannis quibus implicuit mihi corpus
Obstetrix, terræ væ væ, quæ semper euntem
Me tulit, atque ipsis elementis omnibus, inquam,
Væ repeto, cor cùm nudus genetricis, ab alvo
Processi, rapidus tunc me non abstulit ursus:
Non lupus abripuit, non tigri Caspia rosit,

Non

Non leo diſcerpſit, catulis non dira leæna
Obtulit, aut caput hoc durus non ſuſtulit enſis:
O multum damnoſa viris, damnoſa voluptas!
O nimium damnoſa viris Venus, & damnoſa libido,
Damnoſi riſus damnoſaque baſia, torpor
Damnoſus, damnoſus amor damnoſaque ſcorta,
O multum damnoſa viris, damnoſa voluptas!
Nunc qui per ſubitæ pereuntia tempora vitæ
Indulſi genio, ludiſque jociſque vacavi,
Mortuus æternis adjudicor ignibus, unde
Nemo redit, ſtat nulla quies, lux nulla, voluptas
Nulla, ſed æterni æternus quoque carceris horror:
Felix, qui noſtro fiet diſcrimine vitæ
Cautior, hinc abeo.

Dæmon.

Procede miſerrima, Perge.

Tertius.

Dic Pylades, quid ait?

Secundus.

Tremulis vox faucibus hæret.

Tertius.

Aſpicis ut nigras Epicurus pergat ad umbras?

Secundus.

Aſpicio.

Tertius.

Quid ais, miſeris quid credis agendum?

Secundus.

Expedit ejecto virtutem quærere luxu.

Tertius.

Quæramus.

Secundus.

Procul hinc ludiſque jociſque relictis
Pergamus ſubitò: ſtultum eſt ob gaudia vitæ
Æternis animam tandem committere flammis.

Tertius.

Felix, quem faciunt aliena pericula cautum.

Secun-

Secundus.

Felix, qui ſociis navim periiſſe procellis
Cùm videt, in tutum flectit ſua carbaſa portum.

Tertius.

Veſtibus ejectis lacerum carpamus amictum.

Secundus

Dimiſſis populis vaſtam ſubeamus eremum.

Tertius.

Quæramus, licet hinc aliò divertere paſſum.

Mundus.

State viri, quæ cauſa viæ? quive eſtis in agris?
Quóve tenetis iter?

Secundus.

Vaſtam ſcrutamur eremum.

Mundus.

Quid cauſæ eſt?

Tertius.

Fragilis pereuntia gaudia mundi.
Tunc animam Stygias Epicuri tendere ad umbras
Vidimus, & torto inſanum cacodæmona cornu.
Felix, quem faciunt aliena pericula cautum.

Mundus.

Hæc animo formido cadat, merus atque recedat,
Tranquillam mecum vultis deducere vitam?

Secundus.

Nolumus.

Mundus.

Et quid non?

Tertius.

Vitare pericula, cautè
Eſt animi.

Mundus.

Summos acquiret uterque triumphos.

Secundus.

Et quid Cæſareus prodeſſet utrique triumphus?
Divinis modò turius eſt incumbere rebus.

Mundus.

Vos ego Theologos reddam.

Tertius.

Nos nolumus.

Mundus.

Unde hoc ?

Secundus.

Ambitione loci primi non ducimur.

Mundus.

Ergo,

Vos reddam arguto fœcundos ore ſophiſtas.

Tertius.

Nolumus his fruſtra tempus conſumere nugis.

Secundus.

Nos veri volumus non apparere, ſed eſſe.

Mundus.

Doctores faciam.

Tertius.

Nos pingues rodere coſtas
Non volumus.

Mundus.

Faciam primates Gymnaſiorum.

Secundus.

Clamores juvenum ac opprobria mille parentum
Ferre nequiremus.

Mundus.

Faciam vos mitra coronet
Pontificum.

Tertius.

Semper conamur vivere juſti
Diſpenſatores.

Mundus.

Faciam vos ergo loquaces
Cauſidicos.

Secundus.

Linguam venalem exponere nummis

Nolu-

Nolumus; aut aurum plenis excerpere dextris.

Mundus.

Vos faciam Reges.

Tertius.

Regum aſpernamur honorem.

Mundus.

Cur?

Secundus.

Quia continuis agitantur ſemper in armis
Inter equos, inter clypeos, per tela, per ignes,
Formidantque ſui diadema relinquere Regni.
Ocia tranquillæ nunquam diuturna quietis
Suſcipiunt, ubi Gallorum Franciſcus habenas
Sumpſit, & optati poſſedit Lilia Regni:
Protinus armorum ſubitas movere procellas
Helvetii, vehitque atrox in prælia Maurus.
Sic Italas rurſum tranſcendere cogitur Alpes
Callus, & Auſonias bellis invadere gentes.
Injuſto nuper certabant Marte Britanni,
Hiſpanique alia ſitiebant parte cruorem.
Lilia turbantur, veteres habitura procellas.
Inſanos pariter nunquid modò ſentio Turcas,
Qui noſtræ fidei ſacras contundere leges
Nituntur? deſiſte igitur promittere Regnum.

Mundus.

Deſiſtam, ſoli ſi ſortè colatis eremum,
Et quid profuerit veſci campeſtribus herbis,

Tertius.

Tutius eſt inhiare polo campeſtribus herbis,
Quàm lautis epulis Stygias meruiſſe cavernas.

Mundus.

Et quid profuerit corpus punire flagellis?

Secundus.

Tutius eſt carnem ſtimulis domuiſſe rebellem,
Quàm poſt aligeræ pereuntia tempora vitæ,
Pro modico tenebris animam committere luxu,

Sed quis, qui paulo blandiris molliter ore,
Et fruſtra Regum vanos promittis honores?

Mundus.

Mundus.

Tertius.

Ab eſto procul, non ſperes flectere verbis
Conſtantes animos Pylades intremus eremum.
Vidimus ad Stygias Epicurum pergere flammas.
Felix, quem faciunt aliena pericula cautum.

Secundus.

Felix, qui ſocii navim periiſſe procellis
Cùm videt, in tutam flectit ſua carbaſa portum.

FINIS.

Dialogi Interlocutores, Calliope, Lectio quarta, Tres Pugiles.

Calliope.

GAudeo ſopitas prius & mœrore ſepultas
E ſomno ad cantus ſurgere Pierides.
Gaudeo, quòd cithara ludat redivivus Apollo,
Et priſcos reparet docta Minerva jocos,
Nec me majori titillant gaudia plauſu,
Nec magis arguta geſtio lætitia:
Quàm cùm ſuavidicis video reſilire theatrum
Cantibus, & lepidis cuncta ſonare jocis.
Tunc ego, tunc ſemper veteris reminiſcor arenæ,
Occurritque animo priſca palæſtra meo.
Hic ubi tyrones exercebantur ephœbi,
Hi jaculis, alii corpore, pars clypeis.
Pars cantu tragico vilem aſpirabat ad hircum,
Dedita liventes pars erat ad ſatyras.
Scribebant alii teneris elegidia culmis,
Mixtaque erat lachrymis Nænia flebilibus;
Et lyricis alii feriebant cantibus auras,

Rheto-

Rhetoricis alii legibus arma dabant,
Atque alii salsis epigrammata plena cachinnis,
Et pars flebilibus bella canenda tubis.
Tunc clari spelunca Dei reserata patebat,
Totaque Parnassi stabat aperta domus.
Pervia fatidicæ fuerat cortina Minervæ,
Omnia vaticines fata dabant tripodas.
Vidisses nitidum per Phocida currere fontem;
Quem rapidi præceps ungula fecit equi.
Nunc etiam tantis resonat concentibus æther,
Tam lepidum spargit fulsilis aura melos;
Totus ut in media videatur Apollo Navarra
Constituisse suæ jam pietatis opus.
Audivi Græcæ quondam documenta Minervæ,
Vidi Italis quantum robur in ingeniis.
Vidi myrtigenæ multos certare Maroni,
Qui canerent doctis versibus arma virûm.
Et lyrico multos vidi contendere Flacco,
Et multis vehemens cùm Juvenale odium.
Nil tamen antiquis memini vidisse diebus,
Quod tulerit Regio Græca vel Ausonia,
Quod doctæ merito possim præferre Navarræ.
Dulichiam quamvis surgat in Iliadem:
Hic si quidem pueros video, qui vel tibi Phœbe,
Plus placeant tali carmine Virgilii.
Pars cantant lyricis, scribunt epigrammata multi,
Pars satyras scribunt, pars recinunt elegos.
Est & cuique suus (quod plus mireberis) ordo
Atque suam seriem lectio quæque tenet.
Prima mihi visa est sacra dignissima lauro,
Visa corymbiferis digna secunda hederis.
Tertiaque Elæa visa est dignissima palma,
Favisti, ut video dulcis Apollo, tribus.
Sed dum ad me redeo, tres tantùm ludere classes
Vidit Apollineo tota caterva choro.
Quarta ubi dormitat? Clarióne quiescit in antro,

An quærit ſolitis abſtinuiſſe jocis?
Nondum Phœbeæ ſeſe commiſit arenæ.
An nulla penitus murice tincta fuit,
Hanc ut conjicio doctus non ſprevit Apollo,
Nec pepulit gremio Pallas amica ſuo.
Cur ego filet, & clauſis taciturna labellis
Hic remanet, mutum fingit & Harpocratem?
Deſperâtne ſibi ſperandæ præmia palmæ?
Lectio quarta, tuus, ſurge, triumphus adeſt.
Surge, tui venit tibi palma beata triumphi,
Palma etiam doctis invidioſa Deis.
Quid facio? ſurdis nota eſt querimonia ventis,
Noſtra leves ſecum verba fremunt Zephyri,
Lectio quarta tacet, niſi forte eſt illa puella
Quæ nigra accelerat veſte adoperta humeros.
Accedam, & nomen ſecura rogabo puellam,
Cur ve gerat pullo tegmine cincta caput.
Tu paſſim dubiis tantùm quæ ambagibus erras,
Cur facies querulis tota madet lachrymis?
Dic quod nomen habes?

Lectio quarta.

Sum lectio quarta Navarræ,
Infauſtis, ut ego judico, nata avibus.
Infauſtis avibus ſimul & bubone ſiniſtro,
Et Scyllæ magicis pota veneficiis.

Calliope.

Pota veneficiis avibuſque creata ſiniſtris,
Cur ita te miſero natam ais augurio?
Te ne aliquis crudo voluit mutilare flagello?
Durorum ne times verbera carnificum?
Dic ſoror, ipſa tuo forſan medicamina morbo
Inveniam, ſi quid noſtra poteſt Deitas.

Lectio quarta.

Quæ Dea?

Calliope.

Calliope doctarum prima ſororum,

Pri-

Prima mei decor Calliopæa chori.

Lectio quarta.

Calliope, per te has lachrymas, per Apollinis aras
Perque novem (quarum tu Dea prima) Deas
Te precor, hoc miseræ saltem concede sorori,
Assiduis mœrens perstet ut in lacrymis.
Perstet & insanum saturet malè sana dolorem,
Nanque aliud mœror non petit obsequium.

Calliope.

Stulta quid hæ lachrymæ tibi prosunt?

Lectio quarta.

Quid mihi prosunt?
Quæ lachrymis plena est nam mihi vita placet.

Calliope.

Cur placet?

Lectio quarta.

In tenebris miseri magis esse laborant
Quam roseum nitidi solis habere jubar.
Sic miser occisi post tristia vulnera patris
Luminibus visum sustulit Oedipodes.
Quid facerem, si nunc lacrymis imponere finem
Conarer?

Calliope.

Solito te licet esse joco.

Lectio quarta.

Nunc mihi nulla joci est occasio.

Calliope.

Quis tibi fletus?

Lectio quarta.

Quis? nisi lugerem dicerer esse lupa.
Dicerer aut fœtam catulis suxisse leænam,
Aut inter Libycas tigris iniqua feras.

Calliope.

Remigii priscos quæris ne extinguere ludos,
Et sola antiquum nunc sepelire melos?
Ecce tuæ ludunt comites, jam lectio prima

Certavit Clario ſcripta probanda Deo.
Et claſſis pariter ſonuit par amæna ſecunda
Buccina belliſonis invidioſa tubis.
Tertiaque in toto cecinit ſua carmina circo,
Carmina Pindaticis proxima carminibus.
Soláne mœſtifico ſectaberis ocia cantu,
Sola dabis lachrymas, ſola dabis gemitus?

Lectio quarta.

Non bene conveniunt lachrymoſo læta dolori
Carmina, nec mœſtæ cantica triſtitiæ.
Occiſis natis miſerandam turpe fuiſſet
Riſu plena ſequi gaudia Tantalidem.
Non decuit ridere Hecubam, quum durus Achilles
Hectoreas victor ſuſtulit exequias,
Turpe tibi Andromache infelix gaudere fuiſſet,
Dum cecidit muris parvulus Aſtyanax.
Et mihi turpe foret teneris incumbere ludis,
Luctificas mœror dum petit exequias.

Calliope

Cras petit exequias mœror? nunc omnia rident,
Vicino plaudunt omnia Remigio.
Et tu ſola jaces, jam tres cecinere ſorores,
Dixerunt tragicis verba ſonanda tubis.

Lectio quarta.

Multos titillat nunc vani occaſio riſus,
Quos trahet inſanas cras dolor ad lacrymas.
Nuper ego tumida tollebam cornua criſta,
Sed nunc depreſſo vertice mœſta gemo.

Calliope.

Si tibi nuper erat jucundi occaſio riſus,
Si tibi erant teneræ tempora lætitiæ,
Cur non ridebas aliarum more ſororum,
Dum fuerat lepidis plena Navarra jocis?

Lectio quarta.

Quando,

Cal-

Calliope.

Dum Regis Lodoici nobile festum
Traxerat huc tetrica tot gravitate vires,
Tunc cecinere tuæ Sirenum more sorores
Proxima Romano carmina Virgilio,
Cur igitur reliquis modulantibus una tacebas,
Torpebas lentra cur ità pigritia?

Lectio quarta.

Sed cum Cecropiæ recitassem docta Miperva
Carmina Phœbeis æmula carminibus.

Calliope.

Cur non?

Lectio quarta.

Nec Deus est quum spumant vina cerebro,
Et somnum saturi sarcina ventris amat.
Impleti ventres post fercula non nisi lectum,
Et plumas quærunt, Sardanapale tuas.

Calliope.

Tu primo forsan recitasses ordine.

Lectio quarta.

Nunquam,
Cuique suo dandus ordine circus erat,
Quam meruère alii, nolo mihi carpere palmam,
Ordo mihi dandus non nisi quartus erat.

Calliope.

Cur ergo quarto nihil ordine sola parasti?

Lectio quarta.

Nam saturis nimius tædia sermo parit.
Altera prætereo fuerat mihi causa doloris,
Non risus.

Calliope

Sed quæ causa doloris erat?

Lectio quarta.

Plus mihi profuerit clauso tacuisse labello,
Quàm nostri quæ sit dicere causa mali.

Calliope.

Cur ?

Lectio quarta.

Refricat ſiquidem repetitus vulnera ſermo,
Sopitamque acuit non niſi mœſtitiam.

Calliope.

Dic, dic.

Lectio quarta.

Muſa tuis non quæro reſiſtere dictis,
Verùm animus, ſi rem dixero, triſtis erit.
Mi ſtudioſus erat viduatæ navita claſſis,
Nauta infucatis moribus atque animo.
Nauta mei ſemper cupidus (dum vixit) honoris
Nauta meo ſemper deditus obſequio.
Vir vacuus fuco, verbis à felle remotis,
Vir nullis unquam deditus inſidiis.
Nomen adulandi vitans velut acre venenum,
Verba etiam fugiens blanda velut ſcopulum.
Hic ſex luſtra ſui nondum compleverat ævi,
Nec mediæ ætatis ſecula peregerat,
Dum mors, quam nullæ poſſunt avertere dotes,
Hunc jaculo ad manes miſit acerba ſuo.

Calliope.

Quod nomen ?

Lectio quarta.

Nomen renuit lex carminis hujus,
Dictus erat Græco nomine Nicoleos.
Si carmen vitiare licet, Nicolaus amator
Doctrinæ & veræ cultor amicitiæ.

Calliope.

Si crudas nihil eſt poſſit, quod vincere Parcas,
Si nihil eſt mortem, quod revocare queat :
Quid facias ægris ſingultibus ilia rumpas ?
Frange tibi fauces, quis tibi fructus erit?
Mors etenim claudit ſurdas lachrymantibus aures,
Claudit, & Æoliis omnia dat Zephyris.

Lectio

Lectio quarta.

An mihi jocandum censes?

Calliope.

Ego credo jocandum,
Quo tibi plus risus profuerint gemitu.

Lectio quarta.

Quid mihi profuerint gemitus, lachrymosa docebo
Quòd prius accepti sum memor obsequii.

Calliope.

Propterea antiquas veterum corrumpere leges
Non licet, & solitos nunc sepelire jocos.
Tu renuis satyras & blandos scribere amores,
Plenaque lascivis verba cupidinibus,
Funebres elegos & carmina digna sepulchris
Aggredere, & tristem quæ deceant tumulum
Ne solitos videare jocos sepelire Navarræ,
Majorumque sacris destituisse vias.

Lectio quarta.

Aggrediar pugilesque meos lachrymosa docebo,
Ut mœstas referant (quod decet) exequias.
Ergo meæ queruli tyrones surgite classis,
Vestra etenim mater Lectio quarta jubet.
Surgite, ne priscum videamur frangere morem,
Jussaque Phœbeæ spernere Calliopes.
Mos fuit hoc semper spectacula ferre theatro,
Adveniente sacri tempore Remigii.
Ergo trium fas est recitemus more sororum,
Hoc petit arrectis tota caterva oculis.

Primus pugil.

Ros matutinus citò deperit.

Secundus pugil.

Herba virescens
Protinus arescit.

Tertius pugil.

Flos citò quisque perit.

Primus

Primus pugil.
Protinus intereunt violæ.
Secundus pugil.
Citò lilia languent.
Tertius pugil.
Protinus infirmis frugibus aret ager.
Primus pugil.
Alba liguſtra citò flacceſcunt.
Secundus pugil.
Et roſa vernans
Tota exiguis arida temporibus.
Tertius pugil.
Et modò quæ viridem pingunt violaria campum,
Protinus invalidis ſunt ſpoliata comis.
Primus pugil.
Et vernos hodie flores qui parturit hortus,
Cras erit amiſſis horrida terra comis.
Secundus pugil.
Umbroſis hodie renitet quæ frondibus arbos,
Cras ſterilis nudo vertice truncus erit.
Tertius pugil.
Prata hodie viridi ſeſe extollentia fœno,
Cras æſtu nimio mortua deficient.
Primus pugil.
Quæ modò producit ſpecioſos vinea ramos,
Cras hyemes nudo ſtipite nuda feret.
Secundus pugil.
Quæ modò nube tenus patulas ſylva erigit ulmos,
Cras erit obductis pervia vomeribus.
Tertius pugil.
Et modò ſerpillum quæ parturit humida tellus,
Cras erit hyberna forſan operta nive.
Primus pugil.
Flos ſuus omnibus his momento deperit uno.
Secundus pugil.
Et citò depoſito cuncta virore cadunt.

Tertius

Tertius pugil.

Hæc citò florigeri deperdunt veris honorem.

Primus pugil.

Fluxa cadunt.

Secundus pugil.

Pereunt lubrica.

Tertius pugil.

Vana cadunt.

Primus pugil.

Sed tutiùs vanescit homo.

Secundus pugil.

Citiusque fatiscit.

Tertius pugil.

In mortem amisso flore cadit citiùs.

Primus pugil.

Flaccescit leviùs.

Secundus pugil.

Breviori tempore languet.

Tertius pugil.

Invalido citiùs corpore morte perit.

Primus pugil.

Unde ergo Samii pavonis more superbit?

Secundus.

Cur ergo obscœnam labitur in Venerem?

Tertius.

Cur ergo torpet?

Primus.

Cur ergo accenditur ira?

Secundus.

Cur nummos cumulat?

Tertius.

Cur studet invidiæ?

Primus.

Cur instar pecudum ventri tam pronus obedit?

Secundus.

Cur odio livet?

Tertius.

Tertius.

Cur vacat illecebris?

Primus pugil.

Si ſaperent homines, propiùs ſua facta viderent.

Secundus.

Si ſaperent homines, conſulerent dubiis.

Tertius.

Si ſaperent homines, ſtudium virtutis amarent.

Primus.

Si ſaperent homines, deficerent vitiis.

Secundus.

Si ſaperent homines, ab acerbâ morte caverent.

Tertius.

Si ſaperent homines, à maculis fugerent.

Primus pugil.

Quæ modò ramoſa modulatur in arbore paſſer,
Cras fortè argutis præda erit aucupibus.

Secundus.

Quæ modò per ſegetes dormit ſecura coturnix,
Cras in fallacem forte cadet laqueum.

Tertius.

Et qui nunc vitrea laſcivit piſcis in unda,
Cras piſcatorum perferet inſidias.

Primus pugil.

Et lepus herboſo qui nunc ſpatiatur in agro,
Fortè in latrantum cras cadet ora canum.

Secundus.

Et quæ nunc hilares tondent virgulta capellæ,
Cras fient rapido præda ſiniſtra lupo.

Tertius.

Et qui nunc vitulus tenera laſcivit in herba,
Cras erit Hyrcanæ fortè rapina leæ.

Primus pugil.

Qui Libycas hodiè terret formidine ſylvas,
Venantum jaculis cras leo fortè cadet.

Secun-

Secundus.

Quique hodiè plumis oculosus pavo superbit,
Cras ducis ad cœnam fortè paratus erit.

Tertius.

Cygnus arundiferi modulans ad prata Caystri,
Cras erit immundis pabula vulturibus.

Primus pugil.

Et pariter tetrica qui nunc gravitate superbit,
Cras insperata febre peremptus erit.

Secundus.

Quique hodiè tumida tollit sua cornua cristâ,
Cras improvisus decidet in tumulum.

Tertius.

Qui sibi nunc vitæ promittit secula longæ,
Cras subitum cernet mortis adesse diem.

Primus pugil.

Et qui nunc epulis ventrem saliaribus implet,
Cras misero vermes nutriet in tumulo.

Secundus.

Et qui nunc hilari consumit tempora ludo,
Cras vitæ dubio tempore captus erit.

Tertius.

Et qui nunc tendit longævis retia cervis,
Cras subitò mortis raptus erit laqueo.

Primus pugil.

Nunc exporrecto sequitur qui gaudia risu,
Cras insperatis plenus erit lachrymis.

Secundus.

Quem nunc saturat numerosa pecunia Crœsi,
Contentus tumulo cras erit exiguo.

Tertius.

Et qui nunc valido credit se corpore sanum,
Cras fortè invalido corpore fata petet.

Primus pugil.

Si saperent homines, observarent breve seclum
Et leviùs volucri tempus abire rota.

Secun-

Secundus.

Si ſaperent homines, fugerent mala gaudia vitæ;
Servantes fœdis corpus ab illecebris.

Tertius.

Nam tu qui rides, quid eris niſi putre cadaver,
Pluſque latrinali ſtercore fœtidior?

Primus.

Et tu qui cantas quid eris niſi flatilis umbra?

Secundus.

Umbra, inquam, Zephyris vanior Æoliis.

Tertius.

Et tu qui cumulas aurum, quid eris niſi pulvis?

Primus.

Quid niſi vermiculis præda ſepulchricolis.

Secundus.

Quid niſi putreſcens caries?

Tertius.

Aut quid niſi vermis

Primus.

Quid niſi (ſi liceat dicere) ſtercus eris?

Secundus.

Quid niſi latrinæ ſanies, niſi terrea moles?

Tertius.

Quid niſi putredo, quid niſi marcor eris?

Primus.

Tu rides tamen.

Secundus.

Inſanis tamen.

Tertius.

Et tamen inſtat,
Quem tibi, non ſperas mortis adeſſe diem.

Primus.

Et tamen hora fugit.

Secundus.

Volucris tamen interit ætas.

Tertius.

Tertius.

Et tamen incerta eſt funeris hora tui.

Primus.

Quot mala circumſtant hominem?

Secundus.

Quot damna?

Tertius.

Quot, inquam,
Millia morborum proxima ſunt homini?

Primus.

Multæ floricoma violæ naſcuntur in Hiblâ,
Dum rediit veris candida temperies.

Secundus.

Et multis teretes granis onerantur ariſtæ,
Dum calidos ardens Syrius urit agros.

Tertius.

Et multis foliis oneratur fertilis arbos,
Dum viret umbroſis ſylva beata comis.

Primus.

Multis ſylva floret ramis,

Secundus.

Multis mare ventis,

Tertius.

Floriger & multas paſcit Hymettus apes.

Primus.

Multas prata ferunt herbas,

Secundus.

Multos mare piſces.

Tertius.

Alcinoi multas hortus habet violas.

Primus.

Multos nutrit Achos lepores.

Secundus.

Dodona columbas.

Tertius.

Et multas ranas parturit uda palus.

Pri-

Primus pugil.

Vineaque & multos portat fœcunda racemos.

Secundus.

Et multas uvas quisque racemus habet.

Tertius.

Multas aura gerit volucres.

Primus pugil.

Multas habet undas
Oceanus.

Secundus.

Multos Caucasus & scopulos.

Tertius.

Marmora multa Paros.

Primus pugil.

Et multas Gargara messes.

Secundus.

Multos Sparta canes.

Tertius.

Spicula multa Cydon.

Primus pugil.

Sed plures hominem circundant undique morbi.

Secundus.

Plures insidiæ.

Tertius.

Plura venena premunt.

Primus pugil.

Plures perpetuò febres.

Secundus.

Discrimina plura.

Tertius.

Tormentis vivens pluribus afficitur.

Primus pugil.

Plures emittit lacrymas.

Secundus.

Plura ulcera sentit.

Ter-

Tertius.

Pluribus oſſa gerit ſubdita vulneribus.

Primus pugil.

Pluribus emoritur languoribus.

Secundus.

Et mala plura
Suſtinet.

Tertius.

Ærumnis pluribus afficitur.

Primus pugil.

Et tamen hora fugit.

Secundus.

Volucris tamen interit ætas.

Tertius.

Et tamen incerta eſt funeris hora tui.

Primus pugil.

Quot tibi promittis fugientum luſtra dierum?

Secundus.

Quot tibi ſpectandas credis Olympiadas?

Tertius.

Quot ſperas annos?

Primus pugil.

Quot menſes?

Secundus.

Quótve minores
Tu tibi promittis menſibus hebdomades?

Tertius.

Quótve tibi ſperas vitam ſupereſſe dierum?

Primus pugil.

Puncta tibi horarum quot ſupereſſe putas?

Secundus.

Tu rides.

Tertius.

Tu bella geris.

Primus pugil.

Tu ludicra quæris.

Secun-

Secundus.

Tu ventri indulges.

Tertius.

Tu petis illecebras.

Primus.

Tu Venerem sequeris.

Secundus.

Tu dicis turpia dictu.

Tertius.

Tu cristas tollis.

Primus.

Tu fremis invidia.

Secundus.

Quam citò vana tuæ peritura est liniæ vita?

Tertius.

Quàm citò lapsuri morte jubente dies!

Primus.

Mobilis est Zephyrus.

Secundus.

Levis est rota.

Tertius.

Mobilis Eurus.

Primus.

Fama levis.

Secundus.

Levis est pulvis.

Tertius.

Et aura levis.

Primus.

Turbo levis.

Secundus.

Levis est tempestas.

Tertius.

Et leve cœlum.

Primus.

Ros levis.

Se-

Secundus.

Unda levis.

Tertius.

Funda voluta levis.

Primus.

Sed levior vita est.

Secundus.

Hominis velocior ætas.

Tertius.

Et fræno levior non remorante dies.

Primus.

Lude puer.

Secundus.

Bibe tu leno.

Tertius.

Scorteris adulter.

Primus.

Sis meretrix mulier.

Secundus.

Sis latro caussidice.

Tertius.

Rex spolia populum.

Primus.

Judex corrumpere nummis.

Secundus.

Tu requiesce piger.

Tertius.

Ebrie pasce gulam.

Primus

Congere divitias sitibunde.

Secundus.

Sequaris honores
Ambitiose.

Tertius.

Et tu sis homicida Nero.

Primus.

Primus pugil.

Sardanapale miſer ſexum mentire virilem.

Secundus.

Miles mendicos opprime ruricolas.

Tertius.

Te tuus expectat finis.

Primus pugil.

Tua linea.

Secundus.

Præceps,
Terminus.

Tertius.

Accelerat mortis iniqua dies.

Primus pugil.

Fatales properant abſolvere fila ſorores.

Secundus.

Feſtinant anni.

Tertius.

Meta caduca venit.

Primus pugil.

Hæc condiſcipuli doctæ ſpectate Navarræ.

Secundus.

Nos mœſtas vobis tradimus exequias.

Tertius.

Qui ſubitò pereunt memores eſtote dierum,
Nunquam etenim redeunt, qui periere ſemel.

Primus pugil.

Ridetis, quis tum?

Secundus.

Valido eſtis corpore, quid tum?

Tertius.

Docti eſtis, quid tum?

Primus pugil.

Nunquid habetis opes?
Quid tum?

Secun-

Secundus.

Vósne estis claris orti natalibus? ergo.

Tertius.

Estis formoso corpore, quid sequitur?

Primus pugil.

Estis robustis membris nervisque, quid inde?

Secundus.

Robusti pereunt.

Tertius.

Et validi intereunt.

Primus pugil.

Aspicitis vestri manes tumulumque magistri,
Quem brevis angusto contegit urna loco?

Secundus.

Fortis erat.

Tertius.

Nervosus erat.

Primus pugil.

Florebat & annis.

Secundus.

Syncera fuerat vir pietate bonus.

Tertius.

Hunc commensalem vestra vidistis in aula?

Primus pugil.

Cernite; quid vestra est vitâ, nisi umbra levis?

Secundus.

Se bene sperabat præsentibus adfore ludis,

Tertius.

Et quartæ classis ducere remigium,

Primus pugil.

Decessit tamen.

Secundus.

Interiit tamen.

Tertius.

Et tamen ævo.

Defunctus nostra hæc secula deseruit.

Pri-

Primus.

Mortuus eſt.

Secundus.

Obiit.

Tertius.

Docuit nos eſſe caducos
Morte ſua, & noſtræ mortis adeſſe diem.

Primus.

Dii faciant, ut ſyderea requieſcat in aulâ.

Secundus.

Sit quoque divinæ tuta ſalus animæ.

Tertius.

Sit ſemper requies & vita beata ſepulto.

Primus.

Sit divinorum gloria ſpirituum.

Secundus.

Præceptor ſtudioſe vale, tua lectio quarta
Has tibi funebres contulit exequias.

Tertius.

Auditor videas, morimur, citò labitur ætas,
Et fræno pereunt non remorante dies.

FINIS.

Sequentis Dialogi Interlocutores ſunt, Pecunia, Piger, Labor, Patiens laboris.

Pecunia.

PRiſca quid aſtriloquas miraris fama Sibyllas,
Aut Glauci, quid Deiphoben? Cur Phaſidis ora,
Te, Medea, tumet? Cur Sparta ſuperba Lacænam
Erigit, aut nitidam clariſſima Troja Creüſam?
Induperatrices, Auguſtas Martia Roma?
His, fateor, ſpecies fuerat clariſſima, candor
Corporis egregius, flavum qui vinceret aurum,
Attamen in thalamum pauci petiere jugalem.

Mem-

Membrorum fuerat tibi Tyndari, mira venuſtas,
Quæ non ſplendidulis, quas parturit India gemmis
Invideat ſolum tamen hæc commovit Atridam
Et Paridem Trojæ excidium. Sidonia Dido
Pulchra fuit, rutilis etiam nitidiſſima membris,
Formoſo cujus cedat carbunculus ori:
Sed tamen hanc ſolum fama eſt Phœnica Sichæum
Exarſiſſe: fuit Medeæ in corpore pulchro
Excellens facies albo invidioſa liguſtro:
Hanc tamen Æſonides ſolus quæſivit Jaſon,
Quamque opibus præſtans eduxit Troja Crejiſam,
Unicus uxorem petiit ſibi Trojus heros.
Me multi petiere proci: perquirere nunquam
Deſiſtunt multis poſt longos nubo labores:
Multos degeneres renuo, multis ego paſtum
Confero quoſque mihi ſociavero forte maritos,
Non mihi dant epulas, ſed eos ego nutrio: quamvis
Uxores nullis tradant alimenta maritis.

Piger.

Eſtne tibi talis virtus, & tanta poteſtas,
Ut quos in thalamum ſuſceperis ipſa jugalem,
Enutrire queas?

Pecunia.

An ſit mihi tanta poteſtas?
Quis nitidas epulas & fercula lauta miniſtrat
Regibus, & flavo veſtem, quæ ſplendeat auro
Porrigit? aut multis involuit colla catenis
Tortilibus? quis equo, vel quis calcaria præbet
Aurea? quis digitis aurum pulchroſque lapillos
Implicat? aut equites candentibus induit armis?
Quadrupedes armat phaleris? quis tela miniſtrat
Militibus? niveis quis pulchra monilia Nymphis
Porrigit & claris dat munera larga puellis?
Nunquid ego?

Piger.

Felix igitur ſi te mihi fauſto

Connubio ſociaret hymen: felicibus ovis
Eſſem progenitus, gallinæ filius albæ.
Sed ne nos lateas, quæ diva?

Pecunia.

Pecunia dicor.

Piger.

O toties votis mihi ſæpè vocata diurnis,
Nocturnis toties precibus quæſita, ſecundo
Veneris auſpicio: correptum in littore multis
Carminibus quæſivit Hylan Tyrinthia proles:
Sed majora dedi convicia, pluribus auras
Queſtibus implevi, major querimonia noſtro
Gutture manavit, tandem poſt multa vocantis
Verba venis: igitur felici veneris Euro.

Pecunia.

Me tantis, oro, deſiſte applaudere verbis.

Piger.

Cur tibi non verbis applauſero?

Pecunia.

Fortè repulſam
Votis ſtulte tuis tandem patiere,

Piger.

Repulſam?
Nónne petis formâ egregium vultuque maritum?

Pecunia.

Non ego præſtantes vultu formâque maritos
Inquiro; ſed me ad connubia læta mariti
Sæpe vocant.

Piger.

Renuis mihi nubere?

Pecunia.

Neſcio qui ſis.

Piger.

Sum piger, in pannis & pluma Sardanapali
Torpeſcens ſomno ſemper vinoque ſepultus,
Quin etiam putri ſolitus torpere veterno.

P

Pecunia.

Qui te delectant mores?

Piger.

Ego more marini
Dormito vituli, ne me præverteret ullo
Latmius Endymion somno: quum cœna peracta est,
Ad lectum propero, quum me jam longa soporis
Tædia ceperunt, pigrum mox extraho corpus
E lecto, ad ludum me confero, deinde revertor
Ad pastum, saturi quum plena est sarcina ventris
Ad ludum redeo, calefactas sæpe ego thermas
Ingredior, curas abigo, meminisse doloris
Non volo, non aliquas mentem mihi rodere curas
Permitto; paucis, mihi sola ignavia grata est.

Pecunia.

O lepidum caput, & dignum sorbere meracas
Anticyras hominem! vis me tibi nubere?

Piger.

Quid ni?

Pecunia.

Ignavis nunquam quæsita pecunia nubit.

Piger.

Quos igitur gaudes thalamo sociare jugali?

Pecunia.

Qui vigilant, sudant, patiuntur frigora, longam
Esuriem tolerant: qui sicco gutture possunt
Tantaleam perferre sitim: qui ducere noctes
Insomnes: crebris simul impallescere chartis:
Qui sua committunt incertis carbasa ventis:
Qui nec aquas metuunt, nec diræ spicula mortis
Formidant, qui multa pati tormenta, dolores,
Ærumnasque graves possunt, & tempore longo
Annosisque jugo collum supponere lustris,
Qui senibus dominis servire fideliter audent,
Ipsorumque minas, fastosaque verba benignis
Auribus accipere, & pressum cohibere labellum:

Et qui permultis ſtudium exercere lucernis
Sicco ventre queunt, ferulæ ſupponere dextras,
Et bibere exiguis Acheloja pocula vaſis,
Quos lactaca ſedens aluit, & ſectile porrum.
Qui ſine culcitra, ſine pannis, & ſine plumis
In duro ſomnum potuerunt carpere ſcæmno
Pulvini immemores, quos Codri curta ſupellex
Contentos aluit, pro vili & paupere cultu,
Frigida queis arctus calefecit membra caminus,
Et queis menſa brevis paſtum dedit, his ego nubo,
Hos proprio admittit dilecta pecunia lecto.

Piger.

Sed nequeo tormenta pati.

Pecunia.

Tibi nubere nolim.

Piger.

Non poſſem preferre ſitim.

Pecunia.

Conſueſcere fas eſt,
Aut nunc quam proprio te chara pecunia lecto
Suſcipiet, nunc quam tibi nubet, nullus acervus
Nummorum tibi erit, tibi nulla opulentia creſcet.

Piger.

Dic igitur paucis, quid agam?

Pecunia.

Perquire laborem,
Qui tibi quod factu cenſebitur utile paucis
Expediat verbis, nec longa ambage moretur.

Piger.

Serutabor quibus occuluit ſua membra cavernis,
Quaſque habitet terras, aut qua regione vagetur.
Ah video, video quòd amica pecunia nullis
Nubat, quorum animos plumboſa ignavia vinclis
Implicet, & putri faciat torpere veterno!
Jam non (ut video) pigris opulentia creſcit,
Non aurum, nec opes, nec lati jugera campi,

Nec

Non multas itidem meſſis quæ portet ariſtas,
Vinea non multas etiam quæ proferat uvas.
Conandum eſt igitur, remis veliſque ſtudendum,
Scire ubi deliteat labor, aut qua parte moretur.
Sed dum ſpinoſos vepres, & luſtra ferarum
Pervagor, & dumos & ſepes devius erro.
Quis mihi ſeſe offert, facie horrens crinibus hirtus,
Calloſis manibus nervoſis viribus, ingens
Corpore homo, veras opus eſt agnoſcere voces,
Dic igitur, quis tu, rigidis cui brachia ſetis
Horrent, & facies rugis caperata ſeveris?

Labor.

Sum labor.

Piger.

At tetricæ quid denotat hiſpida frontis
Ruga?

Labor.

Mihi nullo perfundi pectora ſucco.

Piger.

Quid calloſa manus?

Labor.

Quòd ego torpentia ſpernam
Ocia.

Piger.

Quid macies.

Labor.

Tenui me vivere paſtis
Innuit.

Piger.

Impexi quid ſignant inde capilli?

Labor.

Molliciem calvi me non curare cinædi.

Piger.

Quid lacer hic pannus?

Labor.

Quòd purpura nulla palato

Grata sit, aut viridi textum velamen Acantho,
Piger.
Pollutus cœno quid signat calceus?
Labor.
Omnem
Corporis infirmi luxum contemnere.
Piger.
Tandem,
Consule quid faciam; quid agendum, nescio.
Labor.
Nescis?
Quid vis?
Piger.
Ut misero mihi chara Pecunia nubat.
Labor.
Ut tibi mendico dilecta pecunia nubat?
Quis tu?
Piger.
Tranquillo gaudens torpere veterno
Sum Piger.
Labor.
O quid ais? tibi chara pecunia nubet,
Et torpere cupis? nullos capit illa maritos,
Languida continuo ni membra labore fatigent.
Piger
Dic igitur, quid agam?
Labor.
Fas est tolerare labores,
Tormentis igitur patiens assuesce ferendis.
Piger.
Quid faciam?
Labor.
Tardis connectas bobus aratrum.
Piger.
Non possum æstatis rapidos tolerare labores,
Non frigus deforme pati.

Labor.

Labor.

Da lintea ventis,
Carbasa committas Zephyris, sis navita.

Piger.

Nauta?
Contiguum nitido cernes prius æquor Olympo.

Labor.

Cur?

Piger.

Timeo ventos, rapidas formido procellas.
Quid facerem, si me scopulis illideret Auster?

Labor.

Sis miles.

Piger.

Quid ais? jaculo fortasse perirem,
Opprimerer mediis forsan resupinus in armis,
Aut rapidæ volucres inhumatum corpus in agris
Arriperent, traheret jejunus & ilia vulcur.

Labor.

Clitellis igitur lignum venale per urbis
Compita deportes.

Piger.

Humeros ego lædere nolim.

Labor.

Te mercatorem profugum decet esse.

Piger.

Nequirem.

Labor.

Cur?

Piger.

Quoniam timeo viscosi tela latronis.

Piger.

Desistas igitur tantis obtundere verbis,
Quum nolis tolerare hyemes, perferre labores,
Frigora dura pati, rigidas sentire pruinas,
Turgida & Æoliis committere vela procellis,

Pauperiem te ferre decet: desiste morari.

Patiens laboris.

Salve dure Labor.

Labor.

Quis nostra ad limina tendit?
Quis tu, qui graderis?

Patiens laboris.

Patiens vocor ipse laboris,
Dic, quæso, cur pigrum hominem ignavumque repellas?

Labor.

Quòd velit ut conjunx sibi chara pecunia nubat,
Qui nullis animum velit exercere jacentem
Officiis.

Patiens laboris.

Si forte hyemem æstivumque laborem
Pertulero: mediis dormivero nudus in Austris,
Sub dio gelidas plerunque attrivero noctes,
Esuriem tulero, sudavero, sensero frigus
Æoliis pariter mea vela tetendero ventis,
An mihi propterea specioſa pecunia nubet?

Labor.

Nubet.

Patiens laboris.

Abibo igitur ventos passurus & imbres,
Servibo latomis, ero navita, Martis ad arma
Ibo, jugo collum supponam, bobus aratrum
Jungam, glebosæ mandabo semina terræ.

Labor.

Vade age, nec dubites, tibi chara pecunia nubet.

Patiens laboris.

Vado, vale.

Labor.

Pigri cupiunt opulescere nummis,
Et gazis inhiant, cupiunt æraria Crœsi.
Delicioſa petunt sibi fercula: prandia quærunt

Pon-

Pontificum, gaudentque merum potare Falernum,
In molli noctem satagunt consumere lecto:
Purpureas quærunt tunicas, mirisque catenis
Colla onerare volunt, placidis incumbere ludis.
Utque loquar paucis: homini si forte liceret,
Regificis cuperent divorum accumbere mensis:
Nec tamen algores, hyemes gelidasque pruinas
Pertulerint, nullumque volent tentare laborem,
Non sic ignavis dilecta pecunia nubet,
Non sic ignavæ poterunt opulescere mentes.

Patiens laboris.

Hem redeo studiose Labor.

Labor.

Phœbi ne calores
Atque hyemes, strictumq; gelu, gelidasq; pruinas
Sensisti?

Patiens laboris.

Sensi.

Labor.

Varias maris atque procellas
Sensisti?

Patiens laboris.

Sensi, paucis absolvere fas est.
Sudavi, fremui, emisi suspiria, nudus
Sub dio jacui sine pannis & sine plumis:
Pulvinique loco silicem plerunque jacenti
Supposui capiti, convicia plurima surdis
Auribus accepi, ac rapidis velut irrita ventis
Commisi, domini mandata severa benigno
Cæpi animo, mihi nec tetricis obsistere vatis
Contigit, aut ullum contra dimittere verbum.
Ligna tuli, vexi lapides, puteisque profundis
Lympham hausi, sensi quicquid natura laborum
Repperit, & pigrum non norunt ocia corpus.

Labor.

Ergo doloriferi patiens studiose laboris,

Poſt multas hyemes tibi chara pecunia nubet.
Hanc habeas, tutum te nutriet, hæc tibi caſtra
Extruet, auratas veſtes tibi conferet, agros
Conquiret, multos tibi conciliabit amicos,
Hâc duce te dominum dicet plebecula, blando
Corde ſalutabit vulgus, famulique ſequentur,
Regificis vives epulis, tibi fercula nulla
Defuerint, nullæ ambroſiæ, concluſio fiat:
Pauperies ſequitur pigros, opulentia gnavos.

FINIS.

Sequentis Dialogi Interlocutores ſunt, Eccleſia, Duo Epiſcopi, Tres hypocritæ, Stultus, Meretrix, Bacchus, Dives.

Eccleſia.

Dii immortales, quàm ſiniſtre mecum agitur, nemo hercule quiſquam infelicior me vivit hodiè: nulla fuit unquam tam agreſtis aut barbara natio, quæ majoribus ceremoniis mihi non aſſurrexerit, quàm nunc hujus ſeculi mortales. Sed ſi decentius nequeat inveniri remedium, ad Paſtores morbum meum deferam. Salvete igitur Epiſcopi.

Primus epiſcopus.

Salve, nata Eccleſia.

Eccleſia.

Mea, & humani generis calamitas, me coëgerunt huc accedere.

Secundus epiſcopus.

Quam ob rem, nata?

Eccleſia.

Poſtulatum opem.

Primus epiſcopus.

Eſtne aliquis, qui malè te habeat morbus?

Eccle-

Ecclesia.

Est, est, & tantus, ut vix audeam profari.

Secundus.

Si quid obsequii nostra duorum virtus queat afferre, erimus instar medicorum: causam ergo vulneris tui detege.

Ecclesia.

Episcopi, vestræ oves gregatim pereunt.

Primus Episcopus.

Pereunt, bone Jupiter! quid audio?

Ecclesia.

Lupi turmatim gregem devorant.

Secundus.

Papæ! quid istud est?

Ecclesia.

Omnia paulatim eunt pessum.

Primus Episcopus.

Quid agunt igitur Curati & Vicarii nostri?

Ecclesia.

Gregis salutem nihili faciunt.

Secundus.

Prædicántne interdum audiente populo viam salutis?

Ecclesia.

Et quid per Jovem prædicarent? elementarii & idiotæ sunt propè omnes.

Primus Episcopus.

Elementarii? seriò loqueris, an joco?

Ecclesia.

Extra jocũ loquor, vidi vitulas plerumq; doctiores.

Secundus.

Quoniam huc verborum ventum est, nihil omittas, quæso; profer in publicum, quicquid videbitur dignum censoria nota.

Ecclesia.

Si cuncta seriatim vellem exprimere, dies me deficeret;

ficeret: propterea paucis admodum verbis enuntiabo: quæ graviora sunt.

Secundus Episcopus.

Agè ergo, ut medeamur, modò curabilis sit hic morbus.

Ecclesia.

Primum omnium, maxima pars Sacerdotum (quos verbo & opere cæteris præstare decet) Abecedarii sunt, ut jam diximus, plerique syllabas articulatim nequeunt compiugere, & ne auditoribus innotescat ea turpitudo, multas interim dictiones saltuatim omittunt, ne scrupulum videantur reperiisse. Et quum omnes castitatem voverint, pauci admodum reperiuntur, qui non scortentur liberiùs quàm muliones aulici, nonnulli comam nutriunt, & (quod magnum errorem patit) reperiuntur, qui more Longobardorum barbas habeant unguentatas. Alii sericati apparent, prospiciunturque, & adeò compositè se vestiunt, ut saltatriculis elegantiores videantur,

Primus Episcopus.

Verba tua magnoperè me terrent, si vera sunt.

Ecclesia.

Vera ut ex Tripode; Quod ad curam gregis spectat & animarum, minus curant quàm de ranis palustribus: dum tondeant lanas, & ad cutem usque rasitent, imò verò glabrent, satis est. Alii sunt vinolenti, & instar Mænadum noctes atque dies pergræcantur, ut semel omnia dicam, nihil omni ex parte reperies non corruptum, non contaminatum.

Secundus Episcopus.

Absolve, quæso, si quid supereſt.

Ecclesia.

Parum adhuc à portu promovi, multos reperias qui mercatorum more emendis vendendisque rebus

bus intendant, licitantur, quæ ſub haſta veneunt, pecuniam fœnori credunt, judicares eſſe mercatores Nabathæos.

Primus Epiſcopus.

Res ſe habet contra quam opinabar.

Eccleſia.

Nihil audiſti, permulti ſunt, qui familias ſervant nepotum, ita enim vocare ſolent filios.

Secundus Epiſcopus.

Nihilne comminiſceris?

Eccleſia.

Nota cunctis & teſtata loquor, qui in matrimonio degunt, uxoribus ſuis cavere nequeunt.

Primus Epiſcopus.

Ariolari ergo licet cultum religionis apud eos multum frigeſcere.

Secundus Epiſcopus.

Frigeſcere? vix certe, quia nunquam incaluit.

Stultus.

Quum ad aram properant, videntur eſſe porci ad haram.

Secundus Epiſcopus.

In cantu quam habent harmoniam?

Stultus.

Aſinorum ſymphoniam rudunt, ululant, balant,
Quum eos audio, audire videor grunnientes porcos

Primus Epiſcopus.

Incipit me pudere tantæ turpitudinis.

Eccleſia.

Eorum probris aures omnium calent, nihil eſt theatro notius.

Secundus Epiſcopus.

Súntne muki ejus notæ?

Eccleſia.

Omnes ferè ad unum. Propterea niſi huic tantæ peſti properè obſiſtatur, actum eſt de Chriſtianâ pietate,

Primus Episcopus.

Suspensi miramur, quod memoras.

Ecclesia.

Ego verò defleo, & hâc in re vestram imploro fidem: quam si recusetis, jam vos lapideos & ferreos voco. Gravem enim faciet jacturam grex animarum, si hoc diutius contagium serpere permiseritis. Date ergo operam, ne quid detrimenti capiat Ecclesia.

Secundus Episcopus.

Si habes ad manum quo modo hæc inveterata pestis evelli queat ab radice, eloquere; faciemus quæ usui fore videbimus.

Ecclesia.

Præficite vestris ovibus pastores bonos, animarum curiosos, qui lucrum nihili faciant, verbo doceant & opere, lepram à leprâ dignoscant, putridis ulceribus medeantur, cum grege maneant, & ab omnibus luporum insidiis caveant.

Primus Episcopus.

Siqui tales reperiantur, tuo parebimus consilio. Sed non parum timeo, ne raræ sint hujusmodi aves.

Ecclesia.

Advertite, quæso: adsunt nescio-qui palliati philosophi, qui miram vultu sanctitatem prommittunt.

Primus hypocrita.

Omnipotens Deus rerum humanarum opifex, oro te per mortem unigeniti Filii tui, per crucem, per plagas, per coronam, per resurrectionem, per ascensionem, averte oculos meos ab omni vanitate.

Secundus hypocrita.

Esto mihi Domine turris fortitudinis à facie inimici, tu es refugium meum, tu Deus meus, tu creator, tu redemptor, pone custodiam ori meo, conserva me ab omni viâ iniquitatis.

Ter-

Tertius hypocrita.

In matutinis meditabor in te.

Secundus hypocrita.

Vespertina oratio mea ascendat ad te, Domine.

Primus hypocrita.

Ego te concupisco, Deus meus, ego te sitio; absit mihi gloriari nisi in cruce tuâ.

Secundus hypocrita.

Domine meditabor in te, quia fuisti adjutor meus.

Primus episcopus.

Magna hercle est horum philosophorum sanctitas, aut ego fallor.

Secundus episcopus.

Miram præ se ferunt religionem.

Stultus.

Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi ra-

Primus hypocrita. (paces.

Me miseret humanæ calamitatis, nemo curat salutem animarum.

Stultus.

Hic multum curat, scilicet.

Secundus hypocrita.

Dolet mihi, quòd gravitatem sceleris expendat nemo; corpus scelere contaminatum fœdius est cadavere.

Stultus.

Quàm egregiè sanctitatem simulant isti cucullati!

Tertius hypocrita.

Fratres, mei ego vos oro per viscera charitatis, populum hunc palàm moneamus suæ salutis: horrori est mihi videre tot animas turmatim pereuntes.

Stultus.

Aliquid lucri sperant.

Primus hypocrita.

Fratres mei charissimi,

Audite

Audite verbum salutis.
Audite dilectissimi,
Verbum plenum sanctitatis.

Secundus hypocrita.

Christus nostra redemptio,
Pro nobis nasci voluit.

Tertius hypocrita.

Ante Christi passionem
Omnes animæ peribant.

Primus hypocrita.

Christus nostra protectio
Pro nobis pati voluit.

Secundus hypocrita.

Omnes ad perditionem
Catervatim descendebant.

Tertius hypocrita.

Christus suâ pietate
Servile corpus induit,
Et immensâ bonitate
Nos vinculis eripuit.

Stultus.

Quam bene lachrymas sibi excutiunt,
Ut sanctitatis opinionem mereantur.

Primus hypocrita.

O mortalis creatura,
Sumpta servili natura,
Vide, vide quid patitur
Qui labe nullâ tingitur.

Secundus hypocrita.

Potes lachrymas tenere,
Dum prospicis creatorem
Confossum plagis languere?
Heu non cadis in horrorem!

Stultus.

Vide lachrymosas & fictas hypocritarum exclamationes.

Tertius.

Tertius hypocrita.

Nemo fidem considerat,
Et tamen omnes morimur.
Mors nostra sensim properat,
Omnes ad fatum labimur.

Primus hypocrita.

Hei quid dicet creatura
Tanto referta vitio,
Summo Deo responsura
In tremendo judicio?

Stultus.

Quem non falleret tam portentosa ejulatio?
O fallax hominum genus, aliquam sperant prædam!

Secundus hypocrita.

Hic æterna miseria,
Luctus, & stridor dentium:
Hic tristis querimonia
Damnatorum gementium.

Tertius hypocrita.

Quid dices, homo mortalis,
Quum tot patebunt tormenta?
Quum lucebit flamma talis,
Tot emittentur lamenta?

Stultus.

Utinam lingua non dissentiret à corde, esseteq; talis
Operatio vestra, qualis oratio, fratres cucullati.

Primus hypocrita.

Nos morimur.

Secundus hypocrita.

Finem petimus.

Tertius hypocrita.

Nos fata morantur.

Primus hypocrita.

Tempus abit.

Secundus hypocrita.

Certa est mors.

Ter-

Tertius hypocrita.

Fugitiva dies.

Primus hypocrita.

Vermis ero.

Secundus hypocrita.

Caro putris ero.

Tertius hypocrita.

Me conteget urna.

Primus hypocrita.

Conquerar.

Secundus hypocrita.

Ardebo.

Tertius hypocrita.

Verbera mille feram.

Primus hypocrita.

O lachrymæ!

Secundus hypocrita.

O gemitus!

Tertius hypocrita.

O pœna!

Primus hypocrita.

Fleatis amici.

Secundus hypocrita.

Ibimus in cineres.

Tertius hypocrita.

Ibimus in tenebras.

Primus episcopus.

Pol, ego nunquam mihi persuasero non esse miram sanctitatem in his philosophis.

Secundus episcopus.

Maximam promittunt religionem.

Primus episcopus.

Non est credibile eos verba dare populo.

Secundus episcopus.

Quis putet jam sanctos viros fucum velle facere?

Pri-

Primus episcopus.

Damnant vitia.

Secundus episcopus.

Virtutem prædicant.

Primus episcopus.

Præ oculis semper habent diem judicii.

Secundus episcopus.

Auribus eorum intonare videtur terribilis illa Hieronymi tuba.

Primus episcopus.

Ut semel finiam, videntur mihi omnibus virtutum numeris absolutissimi. His ergo committenda est nostrarum ovium cura; digni sunt sacerdotiis & canonicatibus.

Secundus episcopus.

Jubeamus convocari, ut de his bene mereamur.

Primus episcopus.

Bene dixisti: grex noster erit securior ab insidiis

Stultus. (luporum.

Cavete episcopi, cavete: fraudulenti sunt, attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intus autem sunt lupi rapaces.

Secundus episcopus.

Quid? ludi rapaces & fraudulenti? imò verò amantissimi virtutis.

Stultus.

Egregiè dicunt sed vita non est conformis orationi.

Primus episcopus.

Quid? sunt similes Curiis?

Stultus.

Curios simulant, & Bacchanalia vivunt.

Secundus episcopus.

Nihil frequentiùs loquuntur quàm de virtute.

Stultus.

De virtute loqui facile est, virtutibus uti
Hoc Samsonis opus.

Pri-

Primus episcopus.

Deum semper habent in ore.

Stultus.

Longè verò à corde.

Secundus episcopus.

Quâ causa hoc facerent ?

Stultus.

Ut astutius fallant.

Primus episcopus.

Fallúntne promptiùs, quum ita loquuntur ?

Stultus.

Fallunt : quia cùm verbis illis fidem sanctitatis populo promittunt, nemo est qui ab eorum insidiis timeat.

Secundus episcopus.

Quid ? nihil fictiunt, nisi salutem animarum.

Stultus.

Imò verò pecuniam crumenarum.

Primus episcopus.

Falleris : nihil aspernantur magis quàm divitias.

Stultus.

Imò verò nihil appetunt magis.

Secundus episcopus.

Tu vides contrà, paupertatem prædicant.

Stultus.

Paupertas hâc ætate parit divitias, ut veritas odium, & familiaritas contemptum.

Primus episcopus.

Sordidè vestiuntur, ut vides : & involuto toto corpore.

Stultus.

Sedes hypocrisis est cucullus.

Secundus episcopus.

Comas habent supercilio breviores.

Stultus.

Ex curtis capillis non est arguenda sanctitas.

Pri-

Primus episcopus.

Caligis utuntur laxis, & inelegantibus, ita ut videantur induti sacco.

Stultus.

Ne videantur suspecti vanitatum.

Secundus episcopus.

Palàm sunt sanctissimi.

Stultus.

Tu nescis quid intus faciunt.

Primus episcopus.

Omnes amant, omnibus bene volunt.

Stultus.

Nullum est hominum genus, qui majore intabescant odio, aut ipsum diutius servent.

Secundus episcopus.

Pauperes nutriunt, pascunt jejunos, sitientes potant & nudos operiunt, ut opinor.

Stultus.

Promptissimi sunt ad capiendum, ad dandum tardissimi: majores sunt eleemosynæ fullonum.

Primus episcopus.

In incessu gravitatem servant.

Stultus.

Ut à transeuntibus salutentur.

Secundus episcopus.

Carpunt omnium peccata.

Stultus.

Vitam ipsi suam si prospicerent, & suo se pede metirentur. Carere debet omni vitio, qui in alterum dicere paratus est, inquit Cicero contra Salustium

Primus episcopus.

Honores hujus seculi contemnunt.

Stultus.

Illud est, quod appetunt maximè.

Secundus episcopus.

Canes etiam rejiciunt.

Stul-

Stultus.

Utinam & invidiam caninam.

Primus Episcopus.

Poëtas, musicos, histriones, devovent flammis.

Stultus

Non sunt harmonicè compositi : similes sunt asino, qui stramina mavult quàm aurum.

Secundus Episcopus.

Versantur assiduè in claustris & templis.

Stultus.

Perquirunt claves.

Primus Episcopus.

Damnant pluralitatem Beneficiorum, ut eorum verbis utar.

Stultus.

Qui habent, non improbant : qui non habent, latrant ut habeant.

Secundus Episcopus.

Lites damnant.

Stultus.

Nusquam hominum majores reperias factiones.

Primus Episcopus.

Macri sunt jejuniis.

Stultus.

Exterminant facies suas, ut appareant sancti.

Secundus Episcopus.

Convivia damnant & compotationes.

Stultus.

Vino tamen utuntur omnium optimo : quod jam proverbio locum fecit.

Primus Episcopus.

Sobrii sunt.

Stultus.

Non omnes; nam multos reperias obeso & omnipotenti ventre, carbunculata & saphyrata facie, gemmato naso, rubentibus oculis, & stomacho protenso.

Secund-

Secundus Episcopus.

Pecuniam contemnunt.

Stultus.

Imò verò congregant thesauros.

Primus Episcopus.

Ut fortè dispergant & dent pauperibus.

Stultus.

Pauperibus? nepotibus in primâ lineâ.

Secundus Episcopus.

Vinum multa aqua diluunt.

Stultus.

Incendio non possunt resistere.

Primus Episcopus.

Lumbos habent præcinctos, & lucernas ardentes in manibus.

Stultus.

In visceribus.

Secundus Episcopus.

Quid? eos indignos putas, quibus animarum committatur cura?

Stultus.

Cavete ne oves committatis lupo.

Primus Episcopus.

Per Jovem lapideum! quicquid dicat, persuaderi mihi non potest, quin probatissimæ sint vitæ.

Stultus.

Fronti nulla fides.

Secundus Episcopus.

Frater, ut agamus securiùs, experiamur cautè an nullis omninò moveantur voluptatibus: si videamus eos persistere in rigore suæ sanctitatis, committemus illis greges animarum & sacerdotia.

Primus Episcopus.

Astutè dicis & lepidè; mittamus cantores primos omnium, qui harmonica suavitate eos pelliciant ad voluptatem.

Secun-

Secundus episcopus.

Properate meliti cantores & nostrorum Catonum severitatem suavidicis cantibus permulcete.

Cantores cantant.

Primus hypocrita.

Facessite hinc, illecebrosi mulici, facessite.

Secundus hypocrita.

Abite in malam rem, corruptores morum perditissimi.

Tertius hypocrita.

Vos instar Sirenum cantu vestro demulcetis homines, sopitos domum submergitis.

Primus hypocrita.

Multò satius est lachrymis vacare.

Secundus hypocrita.

Longe foret utilius deflere vitia.

Tertius hypocrita.

Multò commodius Christo patienti condolere.

Primus episcopus.

Mirum in modum superstitiosi sunt, & tetrici.

Secundus episcopus.

Nulla est omninò voluptas quam non reprobent.

Stultus.

Reprobant lingua quam intus depereunt.

Primus episcopus.

Mittamus liberali forma puellam, quæ amœnitate verborum, & oris pulchritudine eos ad voluptatem pelliciat: hoc modo explorabimus quales sunt eorum animi.

Secundus episcopus.

Bene dicis: quoniam nulla est efficacior ad nocendum pestis, quàm compta mulier.

Primus episcopus.

Heus tu agedum puella, prodi in medium.

Secundus episcopus.

Sunt hic rugosi nescio qui Catones, qui miram vultu san-

ſanctitatem promittunt: potes experiri ſint ne fucati an verſipelles?

Meretrix.

Curabo rem aſtutè factam.
Salvete, ô tetrici & rugoſa fronte Catones.

Primus hypocrita.

Salve flammeolis pulchra puella oculis.

Meretrix.

Cur vos conſpicio torva gravitate ſeveros?

Secundus hypocrita.

Inconſtans levitas mollia corda decet.

Meretrix.

Cur facies madida eſt lachrymis, oculique rubentes?

Tertius hypocrita.

Nos mortis memores efficit hora brevis.

Meretrix.

Nos mortis memores brevis efficit hora, quid inde?
An lachrymis fatum tardius eſſe poteſt?

Primus hypocrita.

Non, verùm lachrymis (quas illecebroſa voluptas
Extrudit) virtus clarior eſſe ſolet.

Meretrix.

Creſcere virtutem lachrymis fletuque putatis?

Secundus hypocrita.

Deliciæ riſum lætitiamque petunt.

Meretrix.

Scilicet has tetricæ frontis deponite rugas,
Et faciem lætis exhilarate jocis.
Pulchra mihi facies qualis tua, Tyndari forma,
Et mihi facundis lingua diſerta ſonis,

Primus hypocrita.

Hanc linguam comedent vermes.

Meretrix.

Oculi mihi lucent,
Ardet ut in rutilo lucida concha mari,

Tertius hypocrita.

Et pulchris Helene formoſa micabat ocellis,
Quæ tamen immundis vermibus eſca fuit.

Meretrix.

Aureolum corpus vincit candore liguſtrum,
Et primas pariter quas jacit aura nives.

Primus hypocrita.

Dormit odorifera coluber plerumque ſub umbra,
Ulcera ſub nivea putrida pelle latent.

Meretrix.

Vóſne papilla movet gemipoma, flaviſlua, mordax,
Quæ duo prominulo tubere poma facit?

Secundus hypocrita.

In mammis putredo latet, jàm parce querelis.

Tertius hypocrita.

His verbis tenebras induit atra dies.

Stultus.

O hypocritarum aſtutiam! palàm damnant, quod intus cupiunt: nec aliam ob cauſam quàm ut negligentes voluptatum videantur, & doloſa hypocriſi venentur aliquid.

Meretrix.

Paſtores, ego hós Curios quanta verborum maximâ amœnitate cotni, deliniyi. Nulla eſt voluptas quam non oderint cane pejus & angue.

Primus Epiſcopus.

Niſi mea me fallit opinio, ſanctiſſimi ſunt, aut intus maximè doloſi.

Secnndus Epiſcopus.

Pergamus adhuc, & aliis id genus irritamentis tentemus eorum animos.

Primus Epiſcopus.

Mittamus Bacchum aliquem aut vinolentum hominem, qui eos ad ebrietatem pelliciat.

Secundus Epiſcopus.

Mittamus: heus tu œnophile, cui cordi ſunt crate-

tes & pocula, viden' supercilliosos illos Fabricios?

Bacchus.

Video.

Primus Episcopus.

Vade ergo, & si ratione ulla fieri potest, diverte à temperantia & sobrietate.

Bacchus.

Quæ major meliórve potest homini esse voluptas,
Quàm bibere optatum terque quaterque merum?
Laudatur gravitas, consultaque vita Catonis.
Et tamen incaluit nectare sæpe Cato.
Vina sitim pellunt, & vires corporis augent,
Gutturibus mutis verba parata ferunt.
Vina fovent risus, sine vino cura dolorque,
Et lachrymæ in tota surgere plebe solent.
Nunc mecum ad choreas accedite.

Tertius hypocrita.

Vade vorago.

Primus hypocrita.

Vade colubrino vipera felle tumens,

Secundus hypocrita.

Discede hinc nebulo.

Tertius hypocrita.

Fuge, corruptissime serpens.

Primus hypocrita.

Vis me mortifero commaculare luto?

Secundus hypocrita.

Visne meam tantis animam potare venenis?

Tertius hypocrita.

Vis ad tartareas ire Acherontis aquas?

Meretrix.

Si non forte placent choreæ requiescite mecum,
In thalamo vobis crescet amica Venus.

Primus hypocrita.

Ho, quid ais, multo meretrix infecta veneno?

Secundus hypocrita.

Quid prodeſt homini delicioſa Venus ?

Tertius hypocrita.

Quid prodeſt homini ſcuticis armata libido ?

Meretrix.

Quid ? vegetis hominem viribus eſſe facit,

Primus hypocrita.

Sed potius minuit vires.

Secundus hypocrita.

Effœminat artus.

Tertius hypocrita.

Membra facit muſca debiliora brevi.

Primus hypocrita.

Hæc ſcabiem nutrit.

Secundus hypocrita.

Saniosis ulcera membris.

Tertius hypocrita.

Hæc pariter canos accelerare facit.

Meretrix.

Si vultis molli mecum requieſcere lecto,
Tradite ſigna meis baſia multa genis.

Primus hypocrita.

Quid mihi profuerint tua baſia, fœda virago?

Meretrix.

Baſiolum eſt omni dulcius ambroſia.

Secundus hypocrita.

Oſcula parturiunt flammas, quibus atra libido
Urere cum venis viſcera tota ſolet.

Tertius hypocrita.

Oſcula porrectis pariunt incendia nervis,
Vix bene quæ totus deleat Oceanus.

Meretrix.

Spernitis hanc faciem, rutilo quæ clarior auro
Promicat æſtivis invidioſa roſis ?

Primus hypocrita.

Forma tua eſt cinctum ſpecioſa pelle cadaver.

Secundus

Secundus hypocrita.

Forma tua eſt putris verùm adoperta caro.

Tertius hypocrita.

Forma tua eſt volucri donum velocius aura.

Meretrix.

Frons mea Pæſtanas vincit odore roſas.

Primus hypocrita.

Frons tua putris erit caries, tumuloque tegetur
Et nitida hæc dabitur vermibus eſca caro.

Bacchus.

Propterea potate patres, genioque favete,
Natura & genius vina Falerna petunt.
Hanc cape tu primus pateram.

Primus hypocrita.

Vade, ebrie bacche
Quid mihi cum vino? quid mihi cum pateris?

Secundus hypocrita.

Ebrie, vis homines ſanctos corrumpere vino?

Stultus.

Sanctos homines!

Tertius hypocrita.

Diſcede, atque aliò pocula rubra feras.

Primus hypocrita.

Vina adimunt ſenſus.

Secundus hypocrita.

Lites & jurgia gignunt.

Tertius hypocrita.

Imponunt miſeris cornua pauperibus.

Primus hypocrita.

Ebrie, vade foras, aliò tua vina reportes.

Bacchus.

Nónne ſolet vino ſurgere blanda quies?

Secundus hypocrita.

Dum molli Baccho internæ caluere medullæ,
Viſcera flammifero mox cremat igne Venus.

Tertius hypocrita.

Vita brevis satis est nobis, & parvula mensa,
Et gelidæ ad fontem sufficit haustus aquæ.

Stultus.

Quàm abstemii sunt, qui faciem habent rubris pyropis illuminatam.

Primus episcopus.

Nihil in eis reperio dignum nota.

Secundus episcopus.

Mittamus adhuc opulentum hominem auro & gemmis ornatum, qui divitias offerat, quas si spreverint sufficiens probatæ vitæ argumentum præstiterint. Agedum opulente, perge cum tuis gazis, fac periculum, quales sint rugosi isti veterani.

Dives.

Cur te Fortunam facit ingeniosa vetustas
Esse Deam, terris, cœloque ereboque potentem,
Et manibus geminis opulentum ostendere cornu?
Nam sine te nec opes ullæ, nec habentur honores,
Tu sola es per quam magnos plebecula Reges
Suspicit, ornatosque auro gemmisque decoros.
Purpureus duce te magna cum laude Senatus
Jura dat & leges populo, numenque putatur.
Hoc facit in terris multarum copia rerum,
Divitiæ æternam pariunt per secula famam.
Hinc modo laurigeri Crassumque Mydamq; Poëtæ
Laudibus innumeris cumulant: opulentia rerum
Comparat æternum diuturna in tempora nomen,
Paupertas modicæ moritur sine nomine plebis.
Propterea ô tetrica clari gravitate Catones,
Depositis rugis venturo intendite lucro:
Vultis opes? ego divitiis opulentus & auro
Possideo, quicquid Lydorum Regia Sardis,
Auriferoque Rhodos possedit nobilis imbro.

Primus hypocrita.

Nolumus.

Secundus

Secundus hypocrita.

Hæc locuples tantarum copia rerum
Dilicias laxumque fovet.

Tertius hypocrita.

Male-ſuada libido
Theſauris alitur.

Primus hypocrita.

Cumulato paſcitur auro
Luxuries.

Dives.

Non vultis opes?

Secundus hypocrita.

Nos nolumus.

Dives.

Unde?

Tertius hypocrita.

Paupertate alitur generoſa & candida virtus.

Stultus.

Hi paupertatem amant, ſcilicet: mirabilis hypocritarum fucus: divitias aſpernari ſe fingunt, quas tamen velis & remis inſectantur.

Dives.

Sed ſine divitiis ingloria vita recedit.

Primus hypocrita.

Divitiis homines ſtygia merguntur abyſſo.

Secundus hypocrita.

Paupertate emitur cœlum.

Tertius hypocrita.

Penuria rerum
Felices animas tenebroſo liberat Orco.

Primus Epiſcopus.

Ego plura ſanctitatis argumenta non poſtulo.

Secundus Epiſcopus.

Per Jovem, quicquid garriat hic nugivendulus, ſanctiſſimi ſunt. Nulla eſt voluptas quam non reprobent. Voluptificis cantorum modulis non moventur,

ventur, meretricum blandimenta respuunt, aversantur ebrietatem, divitias nihili pendunt. Placet mihi ut accersantur, eisque greges animarum & pinguia committamus sacerdotia.

Primus Episcopus.

Adeste Philosophi, adeste.

Hpyocrita.

Salvete, vigilantissimi pastores.

Secundus episcopus.

Quoniam explorata est nobis sanctitas vestra, quoniam doctrinæ vestræ fecimus periculum, volumus greges ovium, & animarum curam fidei vestræ committere.

Secundus hypocrita.

Ha, reverendissimi patres absit, ut curas & beneficia (quod dicitur) accipiamus.

Stultus.

Jupiter, quid non fulminas? beneficia nolunt isti cucullati, quia munera non capit vulpes, odiosum mihi hominum genus.

Primus episcopus.

Velitis, nolitis, oportet pareatis, quoniam filia nostra ecclesia conquesta est gravissimè, quòd nullos habet doctrina, & sanctitate præditos pastores, vultis obsistere mandatis patrum vestrorum spiritualium?

Tertius hypocrita.

Ha, nolumus, vigilantissimi patres.

Secundus episcopus.

Accipite ergo sacerdotia & curas animarum, quas offerimus. Ego te qui primo stas loco, constituo curatum ecclesiæ S. Petri in Remensi diœcesi, B. Theodoberti Senonensis, atque unà canonicatum Meldensem tibi confero.

Primus hypocrita.

Gratiam ago tibi, sanctissime pater.

Primus

Primus episcopus.

Tu secundus, habe curam S. Nicolai in Lotharingiâ, B. Adolphi in Ardeniâ, & S. Gandulfi in Burgundiâ.

Secundus hypocrita.

Gratias ago tuæ sanctitati, pater vigilantissime.

Secundus episcopus.

Tibi tertio conferimus quaternas curas, & binos canonicatus.

Tertius hypocrita.

Dominus velit ut meas pauperrimas oves ad portum salutis possim perducere.

Primus episcopus.

Sed audite, cucullati fratres, nos volumus ut gregi nostro assistatis.

Primus hypocrita.

Assistemus, pater: quia leo rugiens circumit & quærit quem devoret.

Secundus episcopus.

Cavete ne alibi terrarum aut gentium habitetis, quàm cum vestris ovibus.

Secundus hypocrita.

Nusquam pater, quia qui gregem deserunt damnati sunt priusquam moriantur.

Primus Episcopus.

Præterea nolite omnem succum ab ovibus extorquere.

Tertius Episcopus.

Non faciemus, pater: quia boni pastoris est tondere pecus, & non deglubere.

Secundus Episcopus.

Abite ergo in pace, & filiam nostram Ecclesiam quanta maxima poteritis diligentia conservate, ejusque oves pascite, & viam salutis annunciate populo.

Primus hypocrita.

Videte fratres, videte quàm prodeſt mentiri ſanctitatem.

Secundus hypocrita.

Hoc nunquam extorſiſſemus ab Epiſcopis, niſi ſimulaſſemus aſpernari voluptates.

Tertius hypocrita.

Eamus nunc, & genialiter vivamus cum cæteris hypocritis, vicarii noſtri ſatis ſtudiosè curabunt gregem.

Eccleſia.

Nunquámne aderit requies labori, ſic oves meæ gregatim peſſum ibunt? Eritne quiſquam qui diſpalantes & errantes ad bonam frugem revocet? Epiſcopi, nunquam miſerebimini meæ calamitatis?

Primus epiſcopus.

Equidem miſerti ſumus, Eccleſia: & exploratæ ſanctitatis viros ad te miſimus, qui gregem tuum opere & verbo paſcerent.

Secundus epiſcopus.

Vidiſtine aliquos?

Eccleſia.

Nullos.

Primus epiſcopus.

Jupiter, quantum jacturæ & detrimenti ſimulata parit ſanctitas!

Stultus.

Nunquid conſultè præmonueram, ut attenderetis à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces?

Secundus epiſcopus.

Papæ! quid iſtud eſt? tanti erat apud me fides eorum, ut quoquo vellent naribus me traherent.

Primus Epiſcopus.

Quid? latrabant palàm, eoque fatebantur damnatos, qui gregi ſuo non aſſiſterent.

Stul-

Stultus.

Egregiè dicunt, sed frigescunt opere.

Secundus Episcopus.

Eamus quæso, & visamus ubinam sint.

Stultus.

Ellos.

Primus Episcopus.

Quidnam rerum istic agunt?

Stultus.

Stant in costulis arietinis.

Secundus Episcopus.

Heus Philosophi, ubinam est illa prædicatio in grege, quam pollicebamini?

Primus Episcopus.

Quid? vestræ oves sunt sine custode.

Secundus Episcopus.

Lupi agnos cum matribus devorant.

Primus Episcopus.

Vultis subsidium afferre?

Stultus.

Tacent, habent enim ora offibus præpedita.

Secundus Episcopus.

Jam nunc video nullam esse fronti fidem, nulla me amplius trahit admiratio si malè agatur cum Ecclesia, nam pastores idiotæ populum docere nequeunt, literati nolunt.

Primus Episcopus.

Concludamus ergo cum Evangelista Matthæo, spectatores: Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.

FINIS.

Hujus

Hujus ſequentis Dialogi perſonæ ſunt, Theophilus, Contemptor mundi, Mors, Morbus, Fortuna, Salus animæ, Mortis meditatio, Peccatum, Oblivio mortis, Juvenis, Vir, Senex.

Thiophilus.

COntemptor mundi quid ais?

Contemptor mundi.

Jecur æſtuat ira,
Theophile.

Theophilus.

Unde tument flava tibi viſcera bile.
Contemptor mundi?

Contemptor mundi.

Quòd vita caduca receedat
Theophile.

Theophilus.

Æternis velles obſiſtere fatis?

Contemptor mundi.

Nolo ego fatales Parcarum rumpere fuſos,
Sed doleo quòd nos fugitivi terminus ævi
Sic lateat.

Theophilus.

Velles mortis præſcire futuræ
Momentum? ſuprema vetat noviſſe poteſtas.

Contemptor mundi.

Theophile hoc nihil eſt, gravior mihi cura medullas
Compungit, tacitè quod cùm venit ultima vitæ
Linea, & in tenues diſcedit ſpiritus auras,
Nemo ſciat quò flectat iter.

Theophilus.

Quid? noſcere velles?

Con-

Contemptor mundi.

Tu ſcis hic varias curarum creſcere ſpinas,

Theophilus.

Hoc ſcio.

Contemptor mundi.

Scis hominem tormentis, credo ferendis
Progenitum.

Theophilus.

Verum eſt.

Contemptor mundi.

Variis obnoxia curis
Membra.

Theophilus.

Scio.

Contemptor mundi.

Poſt lætitiam citò ſurgere fletum.

Theophilus.

Et ſcio.

Contemptor mundi.

Scis etiam nihil omni ex parte beatum:
Et quòd vita hominis nihil eſt, ac lubrica.

Theophilus.

Noſco.

Contemptor mundi.

Nónne grave eſt homini, quem ſemper cura metuſque
Et ſitis, & maleſuada fames, & turpis egeſtas
Viventem oppreſſit, dum tandem vita peracta eſt,
Tunc profugæ neſcire animæ ſedemq; domumque?

Theophilus.

Quid facias?

Contemptor mundi.

Saltem ſi tempora noſtra carerent,
Ærumnis.

Theophilus.

Superi prohibent.

Con-

Contemptor mundi.

Si tempore saltem
Perfecto, & subiti completis mensibus ævi,
Certam animæ requiem cæli promitteret aula,
Post hujus vitæ exitium.

Theophilus.

Cœlestia nolunt
Numina.

Contemptor mundi.

Si certam mortis cognoscceret horam
More pilæ fugitivus homo : tunc fortè futuris
Consuleret rebus, mores mutaret iniquos.
Staret in excubiis, altaria sacra Sabæo
Thure vaporaret, cumulatum traderet aurum
Pauperibus, scelerum maculas purgaret iniquas.

Theophilus.

Cum Dii permittunt, faciat.

Contemptor mundi.

Non te latet, omnes
Majoris semper capit expectatio vitæ.

Theophilus.

At malè spes hominem majoris decipit ævi.

Contemptor mundi.

Nunquid plenus erit lachrymarum, qui modò ridet?
Qui nunc indulget genio, qui corpore sanum
Se credit, fato cras fortè peribit acerbo?
Qui risus, qualésve joci, quæ gaudia vitæ?

Theophilus.

Et tibi fortè etiam mors est vicina loquenti.

Contemptor mundi.

Nescio quid referas, sed adest rugosa virago
Quæ nos à tergo sequitur.

Theophilus.

Bone Jupiter.

Contemptor mundi.

Et nunc

Quòd

Quòd cecini verum eſt, forſan cras es periturus.

Theophilus.

Quæ Dea?

Mors.

Mors.

Contemptor mundi.

Sed quis lateri comes additus hæret?

Morbus.

Sum morbus, mortis famulus.

Theophilus.

Bone Jupiter, & quid
Cùm loquimur ſequeris?

Mors.

Nemo eſt cui terminus ævi
Non inſtet.

Morbus.

Nemo cui non contagia morbi
Immineant.

Contemptor mundi.

Sequeris pariter regéſne, ducéſne.

Mors.

Omnia mors æquat.

Morbus.

Nulla eſt electio morbi,
Tam ſubitò perimit Crœſum, quàm vulnerat Irum.

Theophilus.

Si fortis fuero?

Mors.

Fortem Samſona peremi.

Morbus.

Et noſtris jaculis ſortes periere gigantes.

Contemptor mundi.

Si pulcher?

Mors.

Periit Judith, periere Sibyllæ.

Mor-

Morbus.

Pulchra Helene, Dido noſtris cecidere ſagittis.

Theophilus.

Si ſapiens?

Mors.

Cecidit Salomon.

Morbus.

Cecidere Solones.

Contemptor mundi.

Si gravis?

Morbus.

Occubuit Craſſus.

Mors.

Cecidere Catones.

Theophilus.

Si locuples?

Mors.

Cecidit Crœſus.

Morbus.

Periere Monarchæ.

Mors.

Mortuus eſt Xerxes.

Morbus.

Et mortuus ille Darius.

Contemptor mundi.

Et ſi bellator validus?

Mors.

Duo fulmina belli
Scipiadæ cecidere.

Morbus.

Jacet clariſſimus armis
Hannibal.

Mors.

Et geminæ belli civilis Erynnes
Pompejus gener, & Cæſar ſocer.

Mor-

Morbus.

Occidit Ajax.

Mors.

Hector deceſſit.

Morbus.

Salvus non manſit Achilles.

Theophilus.

Sic lautis vivens epulis?

Mors.

Cleopatra receſſit.

Morbus.

Ingluvies ventris tibi nec famoſe Vitelli,
Profuit.

Contemptor mundi.

Et ſi me comitetur amica voluptas:
Si Venus, & Veneris petulans ancilla libido,

Mors.

Nec matricidæ Venus illecebroſa Neroni
Profuit.

Morbus.

Et mollem non juvit Sardanapalum.

Mors.

Paſiphaë occubuit.

Morbus.

Periitque Corinthia Lais.

Mors.

Vis ſemel expediam? quicquid natura creavit,
Currit ad interitum.

Morbus.

Nulla eſt res invia morti.

Theophilus.

Sed cur pubeſcens annis juvenilibus ætas
Subjicitur fatis, velut enervata ſenectus?

Mors.

Sic placuit ſuperis, ne ſi prolixior ætas
Aut mage certa eſſet pueris, nunc mortis amaræ

Im-

Immemores quodcunque nefas sine lege patrarent.

Morbus.

Multis terrori est incognita linea vitæ.

Contemptor mundi.

Post mortem quò tendit homo?

Mors.

Duplex via.

Morbus.

Duplex
Mansio.

Mors.

Si vivens bene vixerit, ætheris aulam
Conscendet.

Morbus.

Sed si male vixerit, ibit ad umbras.

Theophilus.

Sufficit, est ne igitur prudens, quisquis bene vivit
Contemptor mundi?

Contemptor mundi.

Prudens, Deus optime, prudens,
Theophile, atque etiam vigili vigilantior Argo.

Theophilus.

Est ne etiam stultus, qui cùm velocior Euris
Defluat, atque instar bullæ vanescat in auras,
Non tamen extremi consideret ultima fati
Tempora non animæ studeat propriæve saluti
Consulat, ac semper ludis vacat, ocia quærit,
Et quodcunque nefas sequitur virtute relicta,
Contemptor mundi?

Contemptor mundi.

Stultus, Deus optime, stultus.
Theophile & multum imprudens, & stultior ipsa
Stultitia.

Theophilus.

Certum est, mortale hoc corpus iturum
In cineres.

Con-

Contemptor mundi.

Certum est putre ac deforme cadaver
Hoc hominis corpus vilem fore vermibus escam.

Theophilus.

Sensibus attentis igitur perpendere fas est
Quò flectamus iter.

Contemptor mundi.

Quid in hâc re consulis ?

Theophilus.

Audi,
Fortuna est, quæ dat mortalibus omnia.

Contemptor mundi.

Verum est.

Theophilus.

Expedit hanc igitur pronis deposcere votis,
Det vitæ nobis ritumque modumque futuræ,
Quò nos posthabitis vitiis virtutis amore
Ducamur.

Contemptor mundi.

Salve mundi fortuna caduci,
Formidatorum nutrix suavissima regum,
Atque noverca inopum.

Fortuna.

Salvete.

Theophilus.

Caduca videntes
Tempora, & incerti quòd sit rota mobilis aër
Utque etiam duplex post vitam mansio cœli
Atque Erebi, vitæ ritumque modumque futuræ
Expetimus dare, namque potes, quò crimine puri
Simus, & æthereæ virtutis amore trahamur.

Fortuna.

Quid petitis ? vultis fieri regésve ducésve ?

Contemptor mundi.

Nolumus in summis regnat lascivia castris.

Theophi-

Theophilus.

Hic fraudes habitant.

Contemptor mundi.

Hic invidiosa potestas.

Theophilus.

Multa veneficiis illic medicata bibuntur.

Contemptor mundi.

Illic vicini ridentis ab ense cavendum est.

Fortuna.

Verùm incedentes famulorum turba sequetur.

Theophilus.

Nec famulis adhibenda fides fratrive propinquo:

Fortuna.

Vestra catenati concludent atria vectes.

Contemptor mundi.

Nil prosunt vectes, quando insidiatur amicis
Proditor.

Fortuna.

At populus vos formidabit.

Theophilus.

Amare
Malumus.

Fortuna.

Armorum primi vexilla feretis.

Contemptor mundi.

Malumus auctores pacis, quàm Martis haberi.

Fortuna.

Pontificis summi grata est si fortè potestas,
Pontifices faciam.

Theophilus.

Christi patrimonia nollem
Vendere, & in Turcas bellum stimulare nequirem.

Contemptor mundi.

Venales rubros exponere nolo galeros.

Theophilus.

Nec plumbum aut calices

Fortuna.

Fortuna.
Summi ſed numinis inſtar
Vos humilis recolet populus.
Theophilus.
Popularibus auris
Non lætor.
Contemptor mundi.
Subitæ non laudis amore movemur.
Fortuna.
Judicis officium vobis aſſumite.
Theophilus.
Corvis
Parcere non volumus.
Contemptor mundi.
Timidas punire columbas
Non volumus.
Fortuna.
Faciam patronos ergo forenſes.
Theophilus.
Juſtitiam colimns.
Contemptor mundi.
Nullo corrumpimur auro.
Fortuna.
Munera multa rei tradent.
Theophilus.
Nos munere nullo
Flectimur.
Contemptor mundi.
Arcto nos nulla pecunia flectit.
Fortuna.
Vos mercatores faciam.
Theophilus.
Mihi quæſtus iniquus
Diſplicet.
Contemptor mundi.
Et nullis cupio diteſcere furtis.

For-

Fortuna.

Vultis bella sequi ?

Theophilus.

Miseri mihi dispicer usus
Militis.

Contemptor mundi.

Agricolas inopes ego rodere nolo.

Fortuna.

Nescio quid petitis, majora offerre nequirem
Vultis opes ?

Theophilus.

Non sunt fragiles, fluxæ atque caducæ.

Contemptor mundi.

Multarum paucis prodest opulentia rerum.

Fortuna.

Impartiri aliud nequeo.

Theophilus.

Fluxum atque caducum est
Quicquid promittis.

Fortuna.

Si fluxum est atque caducum,
Ite aliò.

Contemptor mundi.

Frater, converte parumper ocellos :
Hinc ne Deam spectas vultu formaque nitentem ?

Theophilus.

Aspicio.

Contemptor mundi.

Fas est illuc convertere passus,
Forsitan angustis tradet medicamina rebus,
Tu quæ diva ?

Salus animæ.

Salus animæ.

Theophilus.

Nutrix ne caduci
Corporis ?

Salus

Salus animæ.

Hoc hominis moribundum neglige corpus.

Contemptor mundi.

Quid curas igitur ?

Salus animæ.

Cœlestia.

Theophilus.

Spernis honores ?

Salus animæ.

Sperno.

Contemptor mundi.

Voluptates ?

Salus animæ.

Contemno.

Theophilus.

Despicis aurum ?

Salus animæ.

Despicio.

Contemptor mundi.

Vigilas ?

Salus animæ.

Vigilo.

Theophilus.

Sequerisne labores ?

Salus animæ.

Insequor.

Contemptor mundi.

Insequeris rixas ?

Salus animæ.

Non.

Theophilus.

Jurgia vitas ?

Salus animæ.

Effugio.

Contemptor mundi.

Nutris inopes ?

Salus animæ.

Ego nutrio.

Theophilus.

Pascis
Virtutes ?

Salus animæ.

Pasco.

Contemptor mundi.

Pellis peccata ?

Salus animæ.

Repello.

Theophilus.

Fortunæ contemnis opes ?

Salus animæ.

Aspernor.

Contemptor mundi.

Iniquæ
Despicis illecebras Veneris ?

Salus animæ.

Mihi quæque voluptas
Displicet.

Theophilus.

Ingluviem ventris pellisne ?

Salus animæ.

Veneni
More.

Contemptor mundi.

Et desidiam ?

Salus animæ.

Colubri exitiabilis instar.

Theophilus.

Quid fugis ?

Salus animæ.

Invidiam.

Contemptor mundi.

Cur quæso, talia vitas ?

Salus

Salus animæ.

Non est pollutis animabus gloria cœli
Pervia.

Theophilus.

Cur spina horrentes, utricaque pungens
Te circum apparent?

Salus animæ.

Stimulis caro prava dòmanda est:
Hoc aculeolis reprimendum corpus amaris,
Ætheræ requiem si quis sibi postulet aulæ.

Contemptor mundi.

Ætheream si fortè velim conscendere sedem:
Sed quid opus facto est?

Salus animæ.

Fragilem contemnere mundum;
Spernere divitias: duci virtutis amore;
Reprimere à vitiis animum.

Theophilus.

Quo more caducum
Hoc reprimam corpus?

Salus animæ.

Quæris cognoscere?

Contemptor mundi.

Quære.

Salus animæ.

Est ancilla mihi, cui si nocteque dieque
Impendas animum, nunquam peccata sequêris,
Sed tu perpetuo virtutis amore traheris.

Theophilus.

Est ancilla tibi, cui si nocteque dieque
Tradamus mentem, nunquam peccata sequemur?
Quod nomen famulæ?

Salus animæ.

Mortis meditatio.

Contemptor mundi.

Mortis,

Sic meminisse juvat ?

Salus animæ.

Memorare novissima, nunquam
Peccabis.

Theophilus.

Verum : sed quid si fecero quod tu
Præcipis, extremæ quum mortis venerit hora
Quid mercedis erit ?

Salus animæ.

Paradisi gloria.

Contemptor mundi.

Frater
Theophile, hæc igitur nobis meditatio mortis
Quærenda, hæc siquidem ventura ancilla Salutis,
Nos tandem faciet mensis accumbere divûm.

Theophilus.

Quæramus.

Contemptor mundi.

Video hic attrita veste adopertam,
Lugentem, & passis stantem post terga capillis,
Quæ lachrymis deflet correptum morte cadaver.

Theophilus.

Est, ut conjicio, mortis meditatio.

Contemptor mundi.

Salve
Virgo.

Mortis meditatio.

Et vos.

Theophilus.

Nomen ?

Mortis meditatio.

Mortis meditatio.

Contemptor mundi.

Tantum
Aspersum lachrymis cur gemis ad tumulum ?

Mor-

Mortis meditatio.

Humanum quid sit lachrymans considero corpus
Quodque sit immundum, debile, putre, olidum

Theophilus.

Ergo quid est corpus?

Mortis meditatio.

Nihil est nisi flatilis aura:
Quodque instar Zephyri prætereuntis abit.

Contemptor mundi.

Quid caro?

Mortis meditatio.

Vermiculus putris, lethale venenum,
Stercoris immundi sordida congeries.

Theophilus.

Quid mortalis homo?

Mortis meditatio.

Quid? mobilis umbra recedens,
Labilis, & bullæ perbrevis effigies.

Contemptor mundi.

Quid pulchra hæc facies, quam fuco ornamus, & ista
Quam niveo colimus pectine cæsaries?
Quid molles oculi? quid frons speciosa? quid aures?
Quid labra? quid verbis lingua diserta novis?

Mortis meditatio.

Quid pulchra hæc facies? immundo pastio vermi,
Et sanies fœdo stercore sordidior?

Theophilus.

Quid venter, quem deliciis oneramus amœnis,
Et quem replemus nectare quid stomachus?

Mortis meditatio.

Quid fœda illuvies, sanies, contagio, marcor?
Putor, & immensæ pergrave sacis onus.

Contemptor mundi.

Et quid vita?

Mortis meditatio.

Nihil.

Theophilus.

Quid mors?

Mortis meditatio.

Mirabile visu
Portentum, anguicoma Gorgone deterius.

Contemptor mundi.

Et quid post mortem?

Mortis meditatio.

Multis damnatio: paucis
Parta salus animæ.

Theophilus.

Quem tegit hic tumulus?

Mortis meditatio.

Hic stat Pontificis defunctum corpus Juli,
Hic tua stet pariter rex Lodoice, caro.
Aspice mendico quid Rex à paupere distet.
Papa quid à vili differat agricola.

Contemptor mundi.

Theophile, ecce quod est omnes sumus ista futuri,
Et modicos tandem vertimur in cineres.
Pontifices pereunt: non prodest regibus aurum:
Nec magnis rerum copia principibus.
Lugentem hanc igitur nigro comitemur amictu,
Depositis vani corporis illecebris.

Theophilus.

Lugere hic tecum volumus, Meditatio mortis
Et fluidas mundi spernere delicias.
Incipe

Mortis meditatio.

Quis nescit perituræ incommoda vitæ?
Quæ nivis in mortem sole cadentis abit.

Contemptor mundi.

Quis formidandas mortis neget esse sagittas,
Quæ venit incerto sic inopina gradu.

Theo-

Theophilus.

Quis neget ad fletus, lachrymas, tormenta, labores,
Ex utero matris progenitum esse hominem?

Mortis meditatio.

Cùm simul est infans gravida resolutus ab alvo,
Ortus prima sui munera sunt gemitus.

Contemptor mundi.

Nudus & in terram jacitur: lugetque priusquam
Fecerit infictis dignum aliquid lachrymis.

Theophilus.

Cætera diverso natura exornat amictu,
Nataque quo primum se tueatur habet.

Mortis meditatio.

Corticibus plantas operit, quibus omnia vitent
Frigora, & imbriferas despiciant hyemes.

Contemptor mundi.

Glandibus est cortex.

Theophilus.

Nucibus sua testa.

Mortis meditatio.

Rigentes
Castaneis spinæ.

Contemptor mundi.

Fulcra levant hederas.

Theophilus.

Testa tegit cochleas.

Mortis meditatio.

Tauros sua cornua servant.

Contemptor mundi.

Se contra jaculum dentibus armat aper.

Theophilus.

Ungue rigent ursi.

Mortis meditatio.

Feritas genuina leonem
Protegit.

Contemptor mundi.

Herbivoras lana tegit pecudes.

Theophilus.

Veſtit equos corium,

Mortis meditatio.

Stimulis armantur echini,
Spina frequens hirtis hæret in hiſtricibus.

Theophilus.

Servatur levitate lepus.

Mortis meditatio.

Volucres fuga cervos
Liberat.

Contemptor mundi.

Aërias pluma tegit volucres.

Theophilus.

Squama tegit piſces.

Mortis meditatio.

Et habet domiporta cavernam
Teſtudo.

Contemptor mundi.

In caveis mus latet improbulus.

Theophilus.

Terra tegit talpas.

Mortis meditatio.

Servat ſe rana palude.

Contemptor mundi.

Muſca ſuis alis effugit inſidias.

Theophilus.

Solus homo luget.

Mortis meditatio.

Soli natura noverca eſt.

Contemptor mundi.

Aſſiduas ſolus naſcitur ad lachryma[illegible]

Theophilus.

Solus & egreditur nudus genitricis ab alvo.

Mor-

Mortis meditatio.

Solus & in terrę viscera nudus abit.

Contemptor mundi.

Solus humi repit.

Theophilus.

Solus sibi noxia quærit.

Mortis meditatio.

Solus bella gerit.

Contemptor mundi.

Solus in arma ruit.

Theophilus.

Arguitur solus sceleris.

Mortis meditatio.

Solum omnia terrent.

Contemptor mundi.

Soli damnosa est illecebrosa Venus.

Theophilus.

Soli damnosa est, & pernisciosa voluptas.

Mortis meditatio.

Et soli pariter pernisciosa gula est.

Contemptor mundi.

Solus sollicitus mœstis.

Theophilus.

Solum anxia cura

Comprimit.

Mortis meditatio.

Et solum vulnerat anxietas.

Contemptor mundi.

Solus divitiis inhiat.

Theophilus.

Solum indiga terret

Paupertas.

Mortis meditatio.

Solus dicitur esse nocens.

Contemptor mundi.

Solus tartareas post mortem vadit ad umbras.

Theophilus.

Solus ad infernæ verbera Persephones.

Mortis meditatio.

Solus ad infernæ tormenta severa gehennæ.

Contemptor mundi.

Perpetui solus carceris in tenebras.

Theophilus.

Post vitæ exitium solus damnabitur: ergo
Cum brutis egit mitius ipse Deus.

Mortis meditatio.

Et nos ridemus.

Contemptor mundi.

Convivia lauta paramus.

Theophilus.

Et nos obliqua rodimur invidia.

Mortis meditatio.

Et nos impetimus fratres hostilibus armis.

Contemptor mundi.

Et nos perpetuo discimus arma odio.

Theophilus.

Et nos vicinum volumus potare veneno.

Mortis meditatio.

Et nos incautis tendimus insidias.

Contemptor mundi.

Et nobis mentes inflata superbia pungit.

Theophilus.

Nos semper sitiens pungit avaritia.

Mortis meditatio.

Nos semper laqueis irretit iniqua voluptas.

Contemptor mundi.

Nos capit insidiis illecebrosa Venus.

Theophilus.

Enervant nobis resupinas omnia vires.

Mortis meditatio.

Nos urit flammis ira prophana suis.

Con-

Contemptor mundi.

Nos collativum cogit gula pascere ventrem.

Theophilus.

In nobis virtus non habet ulla domum.

Mortis meditatio.

Nos sacra despicimus.

Contemptor mundi.

Nos non curamus egenteis.

Theophilus.

Nos nihili facimus religionis opus.

Mortis meditatio.

Et nos nescimus pœnæ tormenta futuræ.

Contemptor mundi.

Nos tetricæ mortis vivimus immemores.

Theophilus.

Perpetuum nobis stulti promittimus ævum.

Mortis meditatio.

Credimus æternis vivere temporibus.

Contemptor mundi.

Hi duo vixerunt.

Theophilus.

Multos habuere ministros.

Mortis meditatio.

Vixerunt lautis non nisi deliciis.

Contemptor mundi.

Egregias habuere domos.

Theophilus.

Non defuit aurum.

Mortis meditatio.

Innumeris olim non carvere opibus.

Contemptor mundi.

Regnarunt:

Theophilus.

Vixere hilares.

Mortis meditatio.

Habuere triumphos.

Contemptor mundi.

Terrori populo vivus uterque fuit.

Theophilus.

Nunc ubi sunt?

Mortis meditatio.

Rodunt inhumata cadavera vermes.

Contemptor mundi.

Sed quò discessit fluxa utriusque anima?

Theophilus.

In cœlo Dominus requiem concedat utrique.

Mortis meditatio.

Talis erit nostris linea temporibus.

Contemptor mundi.

Nos tales erimus.

Theophilus.

Similis nos urna moratur.

Mortis meditatio.

Qui sapit, in mortem fit vigil exanbitor.

Contemptor mundi.

Theophile ecce vides perituræ incommoda vitæ.

Theophilus.

Prospicio.

Contemptor mundi.

Mortis nos meminisse juvat.

Consulo ut hortentem spinis intremus eremum:
Consulat ut propriæ tutus uterque animæ.
Hoc aurum, has tunicas, hæc aurea vincula, & istas
Linquamus vani corporis illecebras.

Mortis meditatio.

Ite, sed à stimulo carnis Veneriscue cavete:
Cauta est, atque dolis undique plena Venus.

Peccatum.

Quæ mihi tam rigidos peperit natura Solones?
Quæ tot in auditos secula Pythagoras?
Quos neque florigero titillet mollis voluptas,
Nec caro blandificis contrahat illecebris?

Unde

Unde tot horrendos accepit terra Solones,
Qui moveant tracto cuncta supercilio?
Quorum frons rugas caperans terreret Achillem?
Barbaque pugnacem concuteret Priamum?
Nunc Epicureæ quid agit meditatio sectæ?
Prisca voluptatum cur documenta silent?
Hoc ævo nullus spectatur ubique locorum
Contentus modico tegmine Diogenes.
Regnabat terris quondam speciosa libido:
Præfuerat regnis imperiosa Venus.
Quique sagittiferi flamma percussus Amoris,
Gnosidis æquabat crimina Pasiphaes.
Ambitio regum timidas influerat aulas:
Castraque fallaces tunc habuere dolos.
Lauta parabantur multis convivia mensis:
Nulla dies Baccho non genialis erat.
Ridiculis comes ebrietas erat addita rixis,
Post vivum flammas tunc acabeat Amor.
Histrio tunc ludis populum ducebat hiantem:
Nulli non populo fabula dulcis erat.
Nunc tantum ad lachrymas mortis meditatio cuncta
Evocat: & multa garrulitate trahit.
Et contemptores mundi blando allicit ore
Colligit & multos undique Theophilos.
Ergo quid hic torpes ancilla Oblivio mortis,
Cuncta voluptatum jura perire fines?

Oblivio mortis.

Peccatum, quid agam?

Peccatum.

Quid ages? hanc excute labem:
Fac mortis populum non meminisse suæ.

Oblivio mortis.

Si nequeo?

Peccatum.

Facto facile est.

Oblivio

Oblivio mortis.

Cur ?

Peccatum.

Nam caro prona est.
In vitium : & fragiles vergit ad illecebras.

Oblivio mortis.

Quos primùm alliciam ?

Peccatum.

Juvenes.

Oblivio mortis.

Quo more ?

Peccatum.

Supinis
Illecebris, risu, cantibus, & choreis,
Illud stultitiæ exenne, ne cernere possint
Post mortem profugæ quæ domus est animæ.
Dum loquimur video juvenè cui forma decora est,
Hunc facilè arcanis pellicies laqueis.

Juvenis.

Si quem multarum felicem copia rerum
Efficiat, si quem prodiga lauticies,
Sum felix : sed dum morituri corporis annos
Perpendo, & vitæ quàm brevis hora meæ :
Ex oculis lachrymas nequeo cohibere fluentes,
Et fio rigidæ penè lapis Niobes.

Oblivio mortis.

Stulte quid hæc trutinas ?

Juvenis.

Quæ diva ?

Oblivio mortis.

Oblivio mortis.

Juvenis.

Cur tibi frons læta est ?

Oblivio mortis.

Nutrior illecebris.

Ju-

Juvenis.

Cur oculi rident?

Oblivio mortis.

Lachrymas gemitusque repelle.

Juvenis.

Cur coma sic pexa est?

Oblivio mortis.

Non nisi compta sequor.

Juvenis.

Qui tibi sunt comites?

Oblivio mortis.

Ludi, risusque jocique,
Plena voluptificis gaudia deliciis.

Juvenis.

Venturæ ne times tempus lachrymabile mortis?

Oblivio mortis.

Cur timeam? mortis quid meminisse juvat?

Juvenis.

Quid contrà meminisse nocet?

Oblivio mortis.

Stultissima cervix,
Quid nocet? æternas vis cadere in lachrymas?

Juvenis.

Sed timeo ne delicias, risusque caduci
Corporis extinguat funeris atra dies.

Oblivio mortis.

Excute ridiculæ vanum formidinis ictum:
Vis hilares lachrymis posthabuisse jocos?

Mortis meditatio.

Fili quicquid agas semper reminiscere mortis,
Hæc meretrix vanas te trahet in pedicas.

Juvenis.

Quæ virgo?

Mortis meditatio.

Mortis meditatio: respice fili,
Hoc speculum: hîc mortis flebilis effigies.

Obli-

Oblivio mortis.

Tu potius meretrix miseris mortalibus hamos
Tendis, & occultas instruis insidias.

Mortis meditatio.

Quos tendo laqueos?

Oblivio mortis.

Miseris tu tollere risum
Niteris, & crebras pellicere in lachrymas.

Mortis meditatio.

Ergo?

Oblivio mortis.

Quid hæ lachrymæ prosunt?

Mortis meditatio.

Dant gaudia cœli.

Oblivio mortis.

Scilicet id cutant, Jupiter & Superi.

Mortis meditatio.

Scilicet? hic modicis præstat lugere diebus.
Post vitam æternis quàm miserum esse malis.

Oblivio mortis.

Tu formose puer meretricem hanc neglige.

Mortis meditatio.

Fili
Si sapis, occulto subtrahe te laqueo.

Oblivio mortis.

Fraus nulla est, speciose puer depone timorem?
In nostro jaceas blande puer gremio.

Juvenis.

Quid faciam?

Oblivio mortis.

Ludas.

Mortis meditatio.

Fili, reminiscere mortis.

Oblivio mortis.

Dormi lascivas inter Hamadryades.

Ju-

Juvenis.

Sed mortem timeo.

Oblivio mortis.

Metuis, tu vix bene natus?
Et quid maturus feceris ergo senex?

Mortis meditatio.

Fili, mors etiam juvenes rapit; aspice finem.

Oblivio mortis.

Nil timeas, hilares semper amato jocos,
Si semper statuas mortis meminisse futuræ,
Æterna duces tempora tristitiæ.
Vis tibi formosum pugnis contundere corpus,
Et niveam manibus rumpere cæsariem?
Vis in perpetuo vitam consumere luctu?
Vis juvenum placidis abstinuisse jocis?
Hei miser, hæc placidis fallax matrona sagittis
Te rapit!

Juvenis.

Hæc mortis me movet effigies.
Fluxa recedentis considero tempora vitæ:
Et quòd post mortem debile corpus erit.
Membra sepulchrigenis video fore vermibus escam,
Vis dicam, hæc mortis me movet effigies.

Oblivio mortis.

Hoc vanum mortis speculum depone, secaris
Quò duco.

Juvenis.

Quò vis ducere?

Oblivio mortis.

Ad illecebras,
Ad risus, ad delicias.

Mortis meditatio.

Reminiscere mortis
Fili, post mortem putre cadaver eris.

Oblivio mortis.

Avertas faciem, ne te hæc verbosa virago

Fascinet, aut tacitas ducat in insidias.
Impositum clausis capias velamen ocellis,
Me sequere ad risus, gaudia, ad illecebras.

Juvenis.

Si facerem quicquid mortis meditatio mandat,
Quid facerem?

Oblivio mortis.

Corpus vile putrisque caro
Vellet purpureæ florem sibi tollere frontis,
Forcipe promissam radere cæsariem,
Et tibi quin etiam solito interdicere fuco,
Dilectasque tibi tollere delicias.
Posthabitis igitur lachrymis, gemituq; frequenti,
Me sequere ad risus, gaudia, & illecebras.

Juvenis.

Te sequor: ergo vale, mortis meditatio.

Meditatio mortis.

Fili,
Quid facis? ô fili, tu cadis in tenebras.
O dolor, excæcas juvenes oblivio mortis:
Quid mirum si nunc cæca juventa perit?

Oblivio.

Peccatum, adduco juvenem, tibi serviet ergo.
Hunc inter lautas suscipe delicias.

Peccatum.

Accedas fili, redeas oblivio mortis,
Et vana allicias ambitione viros.
Ecce virum video, satagas hunc flectere verbis:
Nam quid agat nescit, jactat utrinque caput.

Oblivio mortis.

Quas tendam pedicas?

Peccatum.

Verbis si forte moveri
Hic nequeat, vana hunc ambitione trahas.
Ambitio ætatem titillat sola virilem.

Obli-

Oblivio mortis.

Vado igitur, quid ais, vir bone?

Vir.

Sum dubius.

Oblivio mortis.

Cur dubius?

Vir.

Video vicinum putre cadaver.

Oblivio mortis.

Ergo?

Vir.

Ferox mortis me movet effigies.

Oblivio mortis.

Cur movet?

Vir.

Hæc siquidem in cineres hoc corpus iturum
Denotat.

Oblivio mortis.

Ergo isto vis miser esse malo?
Quid faceres aliud?

Meditatio mortis.

Fili reminiscere mortis,
Occultas meteuris hæc vocat in pedicas.

Vir.

Quid faciam ignoro?

Meditatio mortis.

Memorare novissima, nunquam
Peccabis.

Vir.

Sed quis commoditatis erit?

Meditatio mortis.

Quid? preciosa salus animæ,

Oblivio mortis.

Reminiscere ludi.
Non mortis,

Medi-

Mortis meditatio.

Fili, putre cadaver eris.

Oblivio mortis.

Ne cures.

Vir.

Sed vermis ero.

Oblivio mortis.

Ne sis miser ante
Tempus.

Vir.

Qui vivam?

Oblivio mortis.

Non sine lætitiâ.

Vir.

Sed lachrymæ suberunt.

Oblivio mortis.

Lachrymas cur ego futuras
Prævenies, stultum est anticipare malum.

Vir.

Sed brevis hora fugit.

Oblivio mortis.

Fueris dementior ergo.
Si quod tam subitum est, attribuas lachrymis.

Mortis meditatio.

Fili perpetuæ timeas tormenta gehennæ,
Atque colubricomæ verbera Persephones.

Oblivio mortis.

Hæc meretrix vana mentem formidine terret,
Da quicquid memorat flatilibus Zephyris.

Meditatio mortis.

Inspicias mortis speculum charissime fili,
Talis eris tandem quale cadaver adest.

Vir.

Nescio quò dubium liceat divertere passum,
Hæc vocat ad lachrymas, hæc & ad illecebras.
Scire licet quid agam: referas oblivio mortis,

Si

Si tibi paruero, quis mihi fructus erit?
Oblivio mortis.
Perpetuis semper gaudens lætabere ludis.
Mortis meditatio.
Ludus abit fili.
Oblivio mortis.
Tu speciosus eris.
Mortis meditatio.
Forma perit, fili.
Oblivio mortis.
Tibi magna opulentia crescet.
Dives eris.
Mortis meditatio.
Fili, divitiæ pereunt,
Dives erat, tumulo qui nunc requiescit in isto.
Oblivio mortis.
Avertas oculos, tu bene comptus eris.
Tu bene nutritus, precioso indutus amictu,
Vina bibes summo non renuenda Jovi.
Vir.
Nil mihi laudis erit?
Oblivio mortis.
Tibi plebs assurget eunti,
Et magni in populo Cæsaris instar eris.
Mortis meditatio.
Gloria fluxa perit, fili.
Oblivio mortis.
Tibi census, honores,
Afferet, & multas census amicitias,
Fortunatus erit quem tu dignabere parvo
Colloquio: felix qui tibi servus erit,
Felix quique tuas poterit contingere vestes.
Vis dicam? Augusto Cæsare major eris.
Consul eris, dictator eris, princeps eris: omnes
Anteferent summis teque tuosque Deis.
Impositum clausis capias velamen ocellis,

Me

Me ſequere ad riſus, gaudia, ad illecebras.

Meditatio mortis.

Tu cadis in tenebras, fili reminiſcere mortis,
Nil niſi poſt mortem putre cadaver eris.
Inſpicite ô patres: trahit hæc oblivio mortis
Ad vitium cæcos ambitione viros.

Oblivio mortis.

Peccatum, vir adeſt, epulis hunc excipe lautis.

Peccatum.

Ille meis ſtabit proximus illecebris.
Nunc laqueis include ſenes, oblivio mortis.

Oblivio mortis.

Quis laqueus vetulos carpet?

Peccatum.

Avaritia.
Ecce procul video confectum ætate ſenectæ
Decrepitum: hunc multis allice divitiis.

Oblivio mortis.

Vado: Senex ſalve, quid agis?

Senex.

Quid? neſcio.

Oblivio mortis.

Neſcis?

Senex.

Heu doleo vitæ tempora lapſa meæ.

Oblivio mortis.

Lapſa doles, quid? ſunt validæ tibi corpore vires.

Senex.

Sed potius membris debile corpus abit.

Oblivio mortis.

Deciperis: tibi ſunt robuſti in corpore nervi,
Sunt humeri teretes, & caput eſt vegetum.

Senex.

Ah ſcio quàm fragiles nervi, jam deficit humor,
Aſpicio mortis tempus adeſſe meæ.

Obli-

Oblivio mortis.

Quid si vidisses Priamum, si Nestoris annos?
Quorum si inspicias tempora, tu puer es.

Senex.

Et periere senes.

Mortis meditatio.

Fili reminiscere mortis,
Si petis æternæ præmia lætitiæ.

Oblivio mortis.

Cùm sis decrepitus, risum tua postulat ætas.

Senex.

Cur risum?

Oblivio mortis.

Pereunt omnia tristitia.
Nil hominem magis occidit quàm cura dolorque,
Si diuturna petas tempora, ne doleas.

Meditatio mortis.

Accipias mortis speculum charissime fili:
Hunc cinerem videas putre cadaver eris.

Oblivio mortis.

Deponas mortis speculum meditatio mortis,
Protinus infernas te trahet ad tenebras.

Mortis meditatio.

Te potius trahet in tenebras oblivio mortis,
Flecte oculos, Reges contegit iste locus.

Senex.

Quid faciam mortis meditatio?

Mortis meditatio.

Gaudia pellas,
Indulge lachrymis, tristitiam insequere,
Sperne voluptates, jejunum contere corpus,
Solaque dum sities sit tibi potus aqua.

Oblivio mortis.

Audisti veterane pater: tua labilis ætas
Hæc ne pati poterit tædia?

Senex

Senex.

Non poterit
Huic oneri corpus miserum succumbere.

Oblivio mortis.

Ergo
Ad nostræ properes atria lætitiæ.
Tu cumulabis opes, & magnos æris acervos,
Magnificam poteris dives habere domum,
Tantum agri tibi erit, quantum nec milvus oberret:
Plena & erunt granis horrea triticeis,
Aurea portabis tunc vincula tortilis auri,
Splendebit digitis undique gemma frequens.
Perdere vis iltæc solatia? perdere noli.
Me sequere ad risus, gaudia, ad illecebras,
Impositum clausis capias velamen ocellis.

Mortis meditatio.

Quid facis? ô fili, tu cadis in tenebras.
Ecce quidem, mortis fallax oblivio, cæcos
Decrepitos cupida perdit avaritia.

Conclusio.

Nunc ne verbis majoribus aures vestras oneremus, viri percelebres, talem præcedentis dialogi ponimus conclusionem. Contemptores mundi & Theophilos Dei amatores, mortis meditatione ad salutem animæ proficiscí: juvenes verò stultitia, viros ambitione, senes avaritia excæcatos mortis oblivione ad peccatum à peccato in damnationem trahi.

Sic igitur clausa est primæ sententia classis.
Hoc speculum mortis lectio prima dedit.

FINIS.

Sequentis Dialogi Interlocutores sunt, Thersitis, Vulcanus, Mater Thersitis, & Miles.

Thersites incipit.

MUlciber iratis fabricas qui fulmina divis,
Cujus opus glandes, & ferrea tela fuere.
Quæ serpentigeros Erebo misere Gigantes,
Cujus opus fax illa fuit flammata coruscis
Fulguribus, quâ tartareas Epidaurius anguis
Concidit in tenebras, si quid tua ferrea Lemnos
Artis habet, si quid chalybis modò parturit Ilus
Insula diversis quondam fœcunda metallis,
Conde mihi galeam lucentem, auroque trilicem.

Vulcanus.

Quam tibi vis galeam?

Thersites.

Quam nullus perforet ictus,
Quam nullæ glandes, contortaque spicula rumpant,
Non etiam iratum fulmen si torqueat in me
Jupiter, aut nostrum velit evibrare cerebrum.

Vulcanus.

Hanc galeam imponas capiti, te fulmina nulla,
Telorum nullus saxatilis obruet imber.

Thersites.

Nunc ego non timeam rabidis contendere tauris,
Armatumque caput Libyco objectare leoni,
O quales mihi sunt nervoso in corpore vires!
Non fuit Herculeo tam magnum in corpore robur
Quando Erymanthæo fauces & guttura monstro,
Dissecuit, multisque ferocem mortibus Hydram
Contudit, aut Stygium custodem in vincula traxit.
Mulciber, armato mihi vertice membra superstant
Cætera, quæ fas est præduro cingere ferro.

Fac

Fac mihi perpetuò loricam adamante rigentem,
Et quam Gnossacæ nequeant penetrare sagittæ,
Quæque Carystæo sit marmore durior, & quæ
Intorta nunquam saxorum mole fatiscat:
Quam rabidæ nequeant dentes penetrare lænæ,
Nec quos intorquet bombarda fragosa molares,
Nec quod funda solet Balearis mittere plumbum;
Namque mihi certum est æri contendere bello,
Et nisi discedat mihi flava & cærula bilis,
Et placata suum cicò sorbeat ira furorem,
Constitui Herculeas etiam penetrare columnas,
Hesperiasque metu magno percellere Gades.

Vulcanus.

Quam vis loricam? fabricabo.

Thersites.

Quam mihi toti
Thessaliæ populi nequeant lapidesque Britanni
Rumpere, nec misso ballista industria telo,
Sed nec Amazoniæ metuendus mucro securis.

Vulcanus.

Indue loricam, si te Scytonia saxa,
Et Pyrrhi silices, & marmora dura Laconum,
Et quas intorsit bellator Mohychus ornos,
Si montes quibus Enceladus, fraterque Ryphæus
Tentavere Jovem superis detrudere regnis,
Impeterent, caderetque in te scopulosus Olympus,
Pondere sub nullo rigida hæc lorica fatiscat.

Thersites.

Quando ego robustos humeros, nervosaque membra
Intuor, & magnos membrorum conspicor artus:
Non puto Phlegræos Titanas mole superba
Esse pares quantus stomachus, bone Jupiter & qui
Quamque graves nervi! videor spectare catenas
Vinclaque queis memorant robustum Ægeona vinctum.

Quàm

Quam latus ſtomachus! quæ crura rotunda, pedeſque
Expaſſi, ſtrictæque manus, humerique patentes!
Non puto poſſe Deos tantis obſiſtere membris.
Mulciber, armato ſtomacho jam crura ſuperſunt,
Fac mihi ſquallentes ocreas, auroque decoras,
Quas nequeat catapulta ſuo diſrumpere jactu.
Mox ego terrigenas omnes in bella vocabo,
Nec rabiem poterunt irati ſiſtere divi.
Quòd ſi defuerint hoſtes, certabo leænis,
Interimam tauros, apros jugulabo feroces.
Objiciam corpus colubris, nec torrida Tigris,
Nec me cornigeri poterunt terrere ceraſtæ:
Non ſpumoſus aper, viroſo aut dente chelydrus.
Si mihi forte feræ deſint, colubrique draconeſque
Invitabo Deos, nec me clamoſa movebunt
Fulgura, nec piceas fructura tonitrua nubes.

Vulcanus.

Quas tibi vis ocreas?

Therſites.

Quas nullus perforet ictus,
Aptorumque armis nec frangant ſpicula Parthum:
Hiſpanæ terebrent non longa haſtilia gentis,
Non & Dædalidem oppreſſit quæ tegula Pyrrhum.

Vulcanus.

Accipe lucentes ocreas: is tutus in hoſtem,
Sit Samſone licet, vel olympifero Hercule major:
Impetus armorum nullus, nullique molaris,
Cui non obſiſtant rejecto fortiter ictu.
Sit te peſtiferæ turmæ quas duxit Amazon,
Et quas in bellum traxit dux belliger ille
Qui potuit tenebras radiato imponere Phœbo,
Neptunum trahere in pedicas, fluctuſque morari
Et plenis, per Athon montem decurrere velis,
Proſpiciant, mox terga dabunt, & fulminis alis
Ocyus, & volucres nymbos æquante ſagitta,

Cui non terrorem incuteret tua squallida barba,
Dum sic armatus pavidum prodibis in hostem!
Pol si te videat quæ cœli fulmina torquet,
Quique diem gelidæ cogit succedere nocti,
Acrisono rursus Corybantum se occulet antro,
Ultoresque iterum sibi credat adesse Gigantes,
O si te videat per quem omnia bella geruntur,
Quique bicornigera Gradivus fulminat hasta,
Armorum numen tibi conferet ense relicto:
Teque Deum belli primum volet esse cruenti,
Atque suum fratrem te diva vocabit Enyo,
Jamq; vale, arma petas nostris circumdatus armis.

Thersites.

Mulciber, astrigeto stabunt dum sydera cœlo,
Dumq; jubar Phaëthontis equi, lucemque coruscis
Naribus efflabunt, nocturnaque sydera vesper
Anteibit, tenebrasque nitens aurora repellet,
Æternas tibi agam tanto pro munere grates.
Ne tamen ulla mihi desint Mavortia tela,
Cinge latus gladio ancipiti, qui saxa, trabesque
Findat, & aërias uno impetu dissipet ornos.
Hinc manibus jaculum, hinc sanguineamque sarissam,
Ut procul insidias si forte paraverit hostis,
Corruat hoc telo, & vitam cum sanguine fundat.

Vulcanus.

Pareo, jam lateri cingatur lucidus ensis,
Et nitidus capulo & stellatus jaspide fulva.
Fraxinea demum hac humeros tibi cingimus hasta.

Thersites.

Discedo, & multi, vitam committo periclis.
Estne aliquis cui teligeri discordia Martis
Grata sit, & creperi placeant discrimina belli?
Estne aliquis, flammas nebuloso gutture spargens,
Sparsit ut ille Cacus, qui capta armenta cavernis
Condebat nigra in cavea furtimque tegebat,

Op-

Oppositum inversa ducens vestigia cauda?

Mater.

Quid memoras fili? cui vis te credere bello?
Vis dare portentis vitam quæ terra nefando
In tenebris peperit fœtu vis credere vires
Flatilibus Zephyris, animamq; exponere monstris?

Therſites

Ibo, Ibo: & si quis forsan, leo, si qua læna
Terreat attonitos metuendo dente colonos,
Si qua & in Arcadico metuendo læna Erymantho
Concidet his jaculis.

Mater.

Fili, vis perdere matrem?

Therſites.

Nolo, ego dilectæ sævire in viscera matris.

Mater.

Certè ego, si tantis committas brachia monstris,
Desiliam in fluctus, & pisces, corpore pascam.
Ægeis veluti qui nomina præbuit undis:
Nuda ve transfixo terebrabo viscera ferro,
Et mammas quæ te in cunis pavere jacentem,
Et lac jejunis tenerum fudere labellis,
Abscindam: morti que meæ sevissimus author
Dicêris fili, maternis annue votis.

Therſites.

Littus aras, mater: nam me furialis Enyo
Reddidit & Marti & bellis furialibus aptum.
Hei quot bellipotens dabit hæc mea dextera morti,
Dum me sanguinea rabies commoverit ira
Ictibus, erraboque aures & tempora circum,
Arrectus stabo indigitos, & utraque rotabo
Tela manu, feriam lapidosi fulminis instar.

Mater.

Hei fili, tua te curvato poplite mater
Orat, ut abstineas bello:

Therſites.

Metiris arenam,
Verba moves ſurdo non ſi me Jupiter ipſe
Atque omnes Superi revocent & maxima Juno
Cœliçolûm, paciſque author ſtudioſa Minerva,
Abſtineam bello nullúſne parabitur hoſtis?
Si quis erit gladio validus, clavaque trinodi
Amphitryoniades, ſi quis portenta, feraſque
Mactet, & in Libyca fœtas regione leænas,
Si Buſiris equos moderans quos ſanguine paſcat
Adſit, ego dextram dextræ, jaculiſque ſagittas
Opponam, & quantæ mihi ſint in corpore vires
Teſtabor lucta nulluſne parabitur hoſtis?

Mater.

Hei fili, ſi quod mater tibi contulit unquam
Obſequium, hanc animi rabiem durumque furorem
Exue, cæruleamque brevis dilatio bilem
Mitiget, exiguum tempus concede furori,
Dum mea me victam doceat fortuna dolore.

Therſites.

Uſque adeò furor in venas & viſcera ſerpit,
Ut ruptum videar collidere dentibus hoſtem,
Dum me bellipotens Gradivus in arma vocabit,
Dii ſuperi quot ego tenebroſa in tartara mittam.
Non tot habent glandes hyberno tempore quercus
Chaoniæ neque tot fruges cerealis Eleuſis,
Non tot apes Hybla, atq; thymo fœcundus Hymetas,
Quot dabit hæc hoſtes morti mea dextera ſurge
Si quis es infenſi placeat cui gloria belli.
Heu ſtridor, nemo ſe audet concredere pugnæ?

Mater.

Omnes te metuunt fili victoria parta eſt.
Vis certare levi Zephyro? vis bella movere,
In volucres ventos? ludit reſonabilis Echo
Quicquid ais, ridetque tuas obſtruſa loquelas.

Ther-

Therſites.

Surge inquam, ſi quis Martem pugnamque laceſſas,
Hoſtis adeſt, qui te media remoratur arena.

Mater.

Spes mihi placandi ſupereſt jam nulla furoris,
Jam licet ut torvæ furioſus pareat iræ,
Non datur hunc querula motum compeſcere lingua,
Ultimas ſpes erit in votis, ego cuncta vocabo
Numina, conſervent natum, incolumemq; reducant.
Dii faciant fili, quum te furor iraque Martis
In medias acies liteſque & tela vocabunt,
Ut neque tu quenquam perimus haſtilibus hoſtem,
Nec te etiam occidat jaculis penetralibus hoſtis.

Therſites.

Dii faciant, mater, verbis linguaque ſeverus.
Mitis ero facto, & nullum niſi dormiat, hoſtem
Aggrediar, firmiſque habeat religata catenis
Brachia, & ex ima nequeat conſurgere terra.
Mater amica vale, ſolitus furor arma parare
Imperat, atque iterum dubiæ me credere pugnæ.
Jam ſi cui maneat præſens in corpore virtus,
Qui velit intrepidas Marti committere vires,
Adſit, amor pugnæ, laudumque inceníá cupido
Removet armata ſed quæ mihi bellua fronte
Occurrit? num Lemonicæ mirabile terræ
Portentum geminis teſtudo armata ſagittis,
Forniculiſque minax? ego te mala bellua perdam.
Túne audes in me gemino conſurgere cornu?
Heus famuli, manibus clypeos & tela parate.

Miles. (audet?

Quàm bellicoſus eſt, qui teſtudinem aggredi non

Therſites.

Heus famuli, galeas ſimul & thoraces ahenos
Induite, & monſtrum hoc valido contundite bello.

Mater.

Videtur eſſe Dares Virgilianus,

Therſites.

Nullâne vos pietas, famuli, diſcrimina nulla
In tantam cogent aſſumere ſpicula peſtem?

Miles.

Credo, ſi formica adeſſet, non aggrederetur.

Therſites.

Conde tuas criſtas mala bellua, conde & utrumque
Sanguineum cornu: rubra quid fronte minaris?
Aut ego confodiam longa tibi cuſpide corpus.

Miles.

Bone Jupiter, qualis Therſites!

Therſites.

Non condes, inquam, geminum mala beſtia cornu?
Condidit extincta rabies jam præterit ira.
Quærere jam faſt eſt aliis regionibus hoſtem.

Miles.

Ego ſtatim probabo tuas vires.

Therſites.

Eſt ne aliquis Samſon, tauros qui vincat inermes
Qui jugulet magnos diſtenta fauce leones?

Miles.

Tu qui magnifico laudas tua robora faſtu,
Nunc utranque manum tollas, ego Marte probabo
Quid tam magnifico poſſint in corpore vires,
Aut moriar.

Therſites.

Mater larga me contege palla
Accipe me germio.

Mater.

Quid habes chariſſime fili?

Therſites.

Armati plus mille equites mea terga ſequuntur.

Mater.

Tu ſolus nequeas tantis obſiſtere turmis?

Therſites.

Non mater, ſed ſi decimus me invaderet hoſtis,

Non

Non fugerem, tege me mater, ne forte repertum
Interimant, dubium est tantæ me credere cladi.

Miles.

Tu qui magnificis te dicis ad arma creatum
Carminibus, magnos perquiris in arma Gigantes,
Egredere, & quantæ doceas sint corpore vires.

Therſites.

Contege me mater, nec verbum effuderis ullum.

Miles.

Tu pedibus vicina meis carioſa virago,
Vidiſtine hominem galea & thorace recinctum,
Qui Superos omnes & cœlum territat armis?

Mater.

Non vidi princeps, alia regione receſſit.

Miles.

Conſulte: nam ſi armato ſeſe offerat hoſti,
Sentiet ille meo quantus de vulnere ſanguis
Effluat, & noſtro, ſi quanta in pectore virtus.

Mater.

Egredere, ô fili, torvus jam evanuit hoſtis
Nil timeas, tota ceſſit violentus arena. A

Therſites.

Tu prudenter agis, quicunq; es, namq; ego corpus
Hoc tibi fodiſſem jaculo, vitamque dediſſes.
Audes me modicis armatum inceſſere nervis?
Quem ſerpintigeri ſolum timuere Gigantes,
Accenſique Jovis ſolus qui fulmina & iras
Negligo & inmedia commota tonitrua nube.
Egredere, atque iterum primis te crede periclis.
Per caput hoc juro, & dilectæ viſcera matris,
Diſcerpam in modicas raptim tua viſcera partes.
Et medio impingam gladium hunc enſemque cerebro.

Miles.

Arma pares, clypeum, opponas & conſere dextram,

Hostis adest quem tu metuenda in bella fatigas.
Abjicias tumidæ fastus & carmina linguæ,
Verba nihil prosunt. Mars experiatur utrumque.
Quid tu terga fugæ mandas, hastamque relinquis,
Et clypeum, volucrique fugis velocius aura?

Conclusio.

Spectator, ostendit hic Dialogus verum esse quod docet adagium illud, Canes qui multum latrant, raro mordent. Nam ut videre est, qui superbis utuntur comminationibus, quique lingua sunt præferoces, & cœlum armis territant, ubi res jam virum postulat, sunt timidissimi.

FINIS.

Introducuntur duæ Personæ, Mors & Viator.

Mors.

ADvena stes.

Viator.

Tu quis?

Mors.

Mors ultima linea rerum.
Sta.

Viator.

Quid stabo?

Mors.

Licet.

Viator.

Si ne me stare necesse est?

Mors.

Sic jubeo.

Viator.

Quid vis?

Mors.

Mors.

Anima privare caducum
Corpus.

Viator.

Quæ causa est?

Mors.

Lachesis sua fila peregit.

Viator.

Cur adeò brevis hora?

Mors.

Brevis citò devolat ætas.

Viator.

Cur sola incedis?

Mors.

Nullos quòd vivere mecum
Permitto.

Viator.

Quid habes privatos lumine sensus?

Mors.

Ne videam quos percutio.

Viator.

Cur corripis omnes?

Mors.

Non habeo lectos.

Viator.

Facies cur torva subintrat?

Mors.

Ante diem summum ne sim præcognita.

Viator.

Falcem
Quid fers?

Mors.

Hæc fragilis meto semina lubrica vitæ.

Viator.

Cur arcum portas?

Mors.

Ignotis atribus altos
Ut feriam reges.

Viator.

Æqualis pondera libræ
Cur tibi sunt ?

Mors.

Cunctis quia dicor gentibus æqua.

Viator.

Non parcis cuiquam ?

Mors.

Non parco.

Viator.

Quâ ratione ?

Mors.

Omnibus æqua volo dici.

Viator.

Perimis sapientes ?

Mors.

Mortuus est Salomon.

Viator.

Bellorum sternis alumnos ?

Mors.

Mortuus est Hector.

Viator.

Nullis opibus redimuntur
Dites ?

Mors.

Divitiæ Crœsum non eripuerunt.

Viator.

An cæco gradiens præceps audacia vultu
Nullos eripuit ?

Mors.

Cum læto Thessalus agro
Obrutus est Typhis, periit Pagasæus Jason,
Per quam rapta fuit sopito præda draconi.

Viator.

Viator.

Succurret nunquid gravitas?

Mors.

Periere Catones:

Viator.

Nulláne relligio?

Mors.

Divinus cultor obivit.

Viator.

An nullæ vires?

Mors.

Cecidisti maxime Samson.

Viator.

Nulláne virginitas?

Mors.

Consumpta est virgo pudica
Penelope.

Viator.

Cur tam subitò nos percutis ictu?

Mors.

Quod vobis dederat tempus fortuna, peractum est?

Viator.

Nondum conficior senio.

Mors.

Nuba obvia nobis
Est ætas.

Viator.

Vis me juvenem mactare securi?

Mors.

Cum senibus juvenes perimo:

Viator.

Cohibeto furorem:

Mors.

Fata obstant.

Viator.

Nulla redimi pietate valebo?

Mors.

Non obstat morti pietas.

Viator.

Clementia fatum
Nunquid tardabit?

Mors.

Nec agit clementia mortem.

Viator.

Si tibi dem nummos?

Mors.

Nequeunt me flectere nummi.

Viator.

Si tibi vota feram?

Mors.

Precibus non flector amicis.

Viator.

Si certare velim?

Mors.

Certes.

Viator.

An viribus ullis
Armorum superata cades?

Mors.

Non vincor ab armis.

Viator.

At cur tot jugulas populos.

Mors.

Supereſſe recuſant
Fatales Parcæ.

Viator.

Perimis cur falce feroci
Tot gentes?

Mors.

Subſunt mihi multa pericula fati.

Viator.

An regnas in aquis?

Mors.

Mors.

Ego mille per æquora nautas
Fluctibus immerſi.

Viator.

Quod habes per ſtagna periclum?

Mors.

Sunt mihi Sirenes.

Viator.

Quid agunt?

Mors.

Dulcedine cantus
Sopitos reddunt nautas, ſic mergitur undis
Cymba carens vigili nauta.

Viator.

Regnáſne per urbes?

Mors.

Hic mihi ſunt lites.

Viator.

Quid agunt?

Mors.

Certamina fiunt.

Viator.

An ſylvas habitas?

Mors.

Nemus eſt prædonibus aptum.

Viator.

Quid præda hæc ſervire poteſt?

Mors.

Homicidia nobis
Præparat, & ſtricto peregrinum comprimit enſe.

Viator.

Quas habitas terras?

Mors.

Dubiæ domus eſt data morti
Nulla mihi.

Viator.

Viator.

Dic, nulla poreſt te vincere cauſa?

Mors.

Vincere non poteris mortem, nullus ſuperavit
Sed tu quò graderis? quò te via ducit euntem?

Viator.

Neſcio quò gradiar.

Mors.

Speras num vivère ſemper?

Viator.

Non ſpero.

Mors.

Quem vis igitur tibi ſumere greſſum?

Viator.

Ire volo ad Superos.

Mors.

Ad cœlum pergere tentas?

Viator.

Tento equidem.

Mors.

Quò quæris iter tibi ſumere?

Viator.

Mens eſt
Neſcia.

Mors.

Nunquid ego paradiſi limina ſervo?

Viator.

Non ſervas.

Mors.

Cœli quoniam nunquam aula pateſcit,
Quin prius extinctus fueris, cape vulnera mortis.

Viator.

Méne mori fas eſt?

Mors.

Licitum eſt occumbere fato,
Occumbas igitur,

Via-

Viator.

Vitam permitte parumper.

Mors.

Supremæ referas citò verba noviſſima vocis?

Viator.

Summe Deûm cui terra ſubeſt, quem ſydera laudant,
Qui Regis imperio mundum, fluctuſque marinos,
Mortalem redimas peregrinum à careeris antro
Tartarei, majus carmen mihi fata recuſant.

Mortis.

Exſpires: gladio cogor nam cingere guttur.

FINIS.

Sequens Dialogus noſtris omnium oculis duplex proponit ſpeculum, vitandæ ſcilicet avaritiæ & prodigalitatis. Primum tractum eſt ex verbis Horatii ſcribentis eos delirare plurimum, qui lucro & quæſtui nimis indulgent, ut nepotibus conſulant: ſunt autem ejus verba:

Parcus ob hæredis curam, nimiumque ſeverus,
Aſſidet inſano.

Secundum tractum eſt ex hiſtoriâ notiſſimâ de puero prodigo. Interlocutores, *Genius, Senex, Fortuna, Interpres, Mors.*

Genius.

Quid dicis rugoſe ſenex, frontemque remittis,
Et tetricos ſemper terræ defigis ocellos?

Cur

Cur lachrymis humere genas, atque humida fletu
Tempora conſpicio ? nihil hæc ſuſpiria proſunt.
Si quis forte tibi conſumit corpora morbus,
Vulneris edoceas cauſam, fortaſſe medebor.
Namque machaoniam manus hæc exercuit artem.
Reſponde caperate ſenex, frontemque ſerena.

Senex.

Quis tu ?

Genius.

Naturæ genius, qui nubila mentis
Diſcutio, fletus abigo, ſolatia mœſtis
Affero, ſpinoſas languentibus aufero curas,
Invito ad riſus, hilaris trieterica Bacchi,
Ad ſaltatrices choreas, atque oſcula blanda,
Qualia Chaoniæ dant verna in fronde columbæ
Propterea ſi vis iratæ nubila mentis
Diſcutere, & rigidas animi deponere vepres,
Derege ſi qua tuis infixa eſt plaga medullis.
Tacta Philoctete ſanavit crura Machaon,
Peliaca ſenſit medicinam Telephus haſta,
Hippolytum infernis ſerpens Epidaurius umbris
Abſtulit, at morbi cauſam ſi forte reveles,
Certius his atque utilius medicamen habeto.

Senex.

Si medicæ compertor opis mihi Phœbus adeſſet,
Phillyrides Chiron Amythaoniuſque Melampus,
Et quem fulminiger jaculo tetigiſſe triſulco
Dicitur, Hyppolyto miſeranda morte redempto,
Non mihi diſcutiat curas, quas ira dolorque
Parturiunt, faciuntque inſomnes ducere noctes.

Genius.

Nil tamen obſtiterit conceptum prodere vulnus.

Senex.

Ne tibi longa meæ pariant faſtidia nugæ,
Has mihi multarum paupertas indiga rerum
Ingeminat curas animo, tacitamque quietem

Eri-

Eripit, atque omnes facit interrumpere ſomnos.

Genius.

An te paupertas, multarumque indiga rerum
Afficit aut torquet penuria?

Senex.

Vix mihi nummus,
Plumbeus, unde inopem poſſim nutrire ſenectam,

Genius.

Pauperes?

Senex.

Argolico longe mendicior Iro,
Utque meæ exivi nudus genitricis ab alvo,
Sic ego ſum nudis membris, & corpore nudo.

Interpres.

Quàm verum eſt Catonis verbum: Mendicant ſemper avari, dolium habent inexplebile: qui ſi Perſarum gazas & rubri maris lapillos incluſerint, adhuc pauperes ſe vocant.

Genius.

Fortè aliquo æthereos læſiſti crimine divos,
O veterane ſenex!

Senex.

Adſit reverentia vero,
Innumeris ſemper cumulavi altaria donis,
Votivas pecudes ſacris mactavimus aris.
Teque Hecatombæo in formis Proſerpina ſacra
Excolui tibi magne Deûm Saturnia proles
Mille die quandoque boves, totidemque bidentes
Mactavi, interdum magnorum horrentia centum
Terga ſuum, & plenis vinum tibi ſæpe Falernum
Porrexi pateris, & pocula multa paravi.

Genius.

Mira refers, niſi ſint nugæ.

Senex.

Phœbeia credas,
Atque etiam Euboicis oracula reddita templis.

Genius.

Genius.

Tu fortè ætatem vitiis luxuque nefando,
Et multo infamem temerasti crimine vitam:
Si nescis, diva est, Nemesin dixere Poëtæ.
Armata & scuticis, & acuto cincta flagello,
Quo plerumque solet scelleratos plectere fontes.

Senex.

Juro per infernos manes, Stygiamque paludem,
Per Furias omneis, tria virginis ora Dianæ,
Per nomen patris æquorei, sævumque tridentem,
Per te qui refugis terram complecteris undis,
Oceane austripotens, & per Nereidas omnes,
Per Jovis ignitum fulmen, falcemque recurvam
Saturni veteris, per numina cuncta deorum,
Me scelerum vitasse vias cane pejus & angue,
Ut Jovis armigerum rostro pedibusque minacem,
Attonitæ fugiunt penna stridente columbæ.

Genius.

Motus es æterno sacræ virtutis amore?

Senex.

Sola mihi placuit virtus, nihil arctiùs unquam
Dilexi, aut animi studio majore petivi.

Genius.

Est igitur fallax fortuna boniſque noverca,
Quæ sic destituit justos, ditatque nocentes.

Senex.

Fortuna est inimica bonis, contraria justis.
Opprimit innocuos, & paupertate suprema
Afficit, atque inopem cogit deducere vitam.
Castius Hyppolyto, quid enim natura creavit?
Et tamen hunc raptim volucres traxere quadrigæ.
Fortius Oetæo quid protulit Hercule mundus?
Hunc fortuna tamen crudis plerunque leænis
Obtulit, & Libycis jussit certare colubris.
Quis fuit Ænea major pietate vel armis,
Et tamen Æneas Libycis erravit in undis.

Quis

Quis Lariſſæum bello ſuperavit Achillem?
Hunc tamen Idæi Paridis fixere ſagittæ.
Fortuna eſt rationis inops, & neſcia veri.

Genius.

Scilicet hanc veteres cœlo adſcripſere Poëtæ,
Quæ concedat opes numeroſo & divite cornu,
Præbeat injuſtis ſceptrum & diadema tyrannis,
Deque caſis & vomeribus bobuſque & aratris
Agricolas inopes quandoque ad caſtra domoſque
Evehat auratas, & pulchra palatia Regum.
Hanc tamen & ſatyris & amaro perſequar ore.
Heus rerum regina potens, verſatilis, anceps,
Quæ modò ridentem & blandum promittis ocellum,
Moxque rotam incertam mutato numine volvis.
Huc pauliſper ades, motumque volucribus alis
Aufer, & incertæ veſtigia comprime plantæ.
Hic quem proſpectas confectum ætate ſenecta,
Cuiq; vides rugis caperatum horreſcere frontem,
Supremoſque dies vicino inſtare feretro.
Te vocat injuſtam, diriſque armatus jambis
Formidanda tuum trahit ad convicia nomen.

Fortuna.

Sed cur me ſatyris & acutis mordet jambis?

Genius.

Quòd nequeat modicis opibus nutrire ſenectam.

Fortuna.

Quid? tenet innumeris opulenta æraria nummis,

Genius.

Se vocat & membris & toto corpore nudum.

Fortuna.

Dic rugoſe, quo te fortuna flagello,
Quâ læſit ſcutica?

Senex,

Compellor ad oſtia dextram
Porrigere, atque humilem ſupplex mihi quærere victum.

Inter-

Interpres.

Vide ſpectator, quàm maligna & præpoſtera ſit avaris natura: quantumcunque divites ſint & opulentes, ſemper tamen paupertatem ſimulant, & inopes videri volunt.

Fortuna.

Mentiris veterane ſenex: opulentia rerum
Eſt tibi, quam nunquam veteres habuere Mycenæ,
Quæq; mari gemino incumbit celebrata Corinthus,

Senex.

Vix ego lactucis ad victum hortenſibus utor.

Fortuna.

O reprobanda tuæ multum perjuria linguæ!
Mille tibi agrorum ſunt jugera, paſcua mille,
Quæ volucri penna vix pica aut milvus oberret.

Senex.

Paupertate premor dura: vix eſt mihi pannus,
Quo tremulum poſſim tutari à frigore corpus.

Interpres.

Utinam diis volentibus mihi liceret irrumpere in tuum theſaurum: ego facerem ne mentireris, partemque acciperent placentarii, partem fartores, partem pomarii, partem etiam illi myropolæ, qui ficus vendunt & ſaccharum.

Fortuna.

Sunt tibi viniferæ vites, quæ vina Falernis
Nobiliora ferunt.

Senex.

Nulla eſt mihi vinea, præter
Labruſcam, abſumptamque gelu, glacieſq; nivali.

Fortuna.

Mille tibi pecudes latis in montibus errant:
Mille greges ovium tibi ſunt, balantque per agros
Lanigeri paſſim teneris cum matribus agni.

Senex.

Nulla mihi pecus eſt, nullus grex errat in agris.

Fortuna.

Fortuna.

Sunt armenta boum tibi plurima, ſunt tibi tauri,
Fœcundam innumero ſulcant qui vomere terram.

Senex.

Nulla armenta boum mihi ſunt, tauri quoque nulli
Qui mihi diſcindant numeroſo vomere terram.

Fortuna.

Plena tibi ſubſunt cerealibus horrea granis.

Senex.

Non ſunt ulla mihi cerealibus horrea granis.

Fortuna.

Auratæ tibi ſunt chlamydes, pulchrique tapetes,
Purpura quos circum multis nitidiſſima lucet
Meandris volucreſque vagæ, cervique fugaces,
Quos acri venator equo curſuque fatigat.

Senex.

Nec mihi ſunt chlamydes ullæ, nullique tapetes.

Fortuna.

Sunt tibi mille domus, quas Lydi Regia Crœſi
Non ſuperat, Phariæ moles aut inclyta turris,
Priſcaque coctilibus Babylon circundata muris.

Senex.

Nulla mihi domus eſt, Auſtris agitatus & Euris,
Dormio ſub dio, caput inter ſaxa reclino.
Atque plaudigenis inſterno corpora pannis.

Interpres.

Egregiè mendicum ſe fingit.

Fortuna.

Ut video, tibi nulla ſitim myrmecia nummi,
Nulla famem pariter minuit farrago bonorum,
Si tibi laxaret precioſos Lydia fontes,
Oſque tuum impleret collecto turbidus auro
Pactolus, biberesque Tagi flaventis arenas,
Teque ſuis gemmis locuples ditaret Erythra,
Nondum extincta foret lucri furioſa libido.
Sed dum fatales Lacheſis tibi clauſerit annos,

Teque

Teque ſuis Pluto lachrymoſis junxerit umbris,
Quas multo ſudore paras longoque labore,
Has citò divitias conſumet prodigus hæres,
Vera meæ citò percipies oracula vocis.

Genius.

Quid memoras, annoſe ſenex? tu te eſſe fateris
Mendicum: fortuna negat, cur ergo recuſas,
Et genio pariter lætiſque incumbere ludis?
Quid tibi profuerint cumulatæ in ſcriniâ gazæ?
Quid tot in effoſſa congeſta æraria terra,
Hoc tibi theſauro nutritur nulla voluptas.
Præterea dum te modico teget urna ſepulcro,
Contentus panno exangues migrabis ad umbras.

Senex.

Spero ego his denos me poſſe videre decembres.
Quid valida mihi ſunt nervoſo in corpore vires:
Perdidit inferior nullos maxilla molares,
Et nondum mihi crura labant tardante ſenecta.
Cur moriar, jam parce tuis me obtundere nugis?

Fortuna.

Vive tuo arbitrio, numeroſos congere nummos,
Atque Corinthiacis imple tua ſcrinia gazis.
Sed citò mors aderit lethali armata veneno.
Quæ tibi ſurripiet fragili de corpore vitam.
Omnia momento conſumet parvulus hæres,
Qui modò cum pueris ſpacioſa ludit in aula.

Senex.

Verba moves ſcopulis, & inania murmura jactas:
Namque ego vix mediæ complevi tempora vitæ.

Interpres.

Dii immortales, quanta eſt mortalium cæcitas! ſic omnes, caligant & cæcutiunt, ut quamvis mors excubet pro foribus, diu tamen ſe confidant victuros, neque reminiſcantur interitus.

Mi, i.

Exue theſauros, aurique talenta relinquas.

Dimit-

Dimittenda tibi est uxor pulchrique nepotes,
Et methymneis vitis fœcunda racemis.
Hunc propera rugose senex, vitamque relinque,
Nam tibi vicina est perituræ linea vitæ.

Senex.

Quàm torva hæc facies, & acerbo pallida vultu!
Quàm triste, dictum, dic nomen opaca virago.

Mors.

Mors, Regum atque inopum furiosus & hispidus horror.

Senex.

Nullane te flectet magnarum copia rerum?

Mors.

Nulla.

Senex.

Et opes nullæ?

Mors.

Nullæ.

Senex.

Querimonia nulla?

Mors.

Nulla.

Senex.

Aurum nullum?

Mors.

Nullum.

Senex.

Non tortilis auri
Vincula?

Mors.

Non.

Senex.

Nullæ præcioso murice vestes?

Mors.

Nec vestes.

Senex.

Senex.

Ego te per ſummi numina cœli
Oro, dies paucos miſeræ permitte ſenectæ.

Mors.

Stat ſua cuique dies; Lachefis: ſua fila peregit,
Æternus fati non eſt mutabilis ordo.

Senex.

Scilicet ad nigros animam deſcendere manes?
Nec jam lanificas mollit querimonia Parcas?
Saltem pauca mihi liceat mandare nepoti.
Parve nepos ego divitias aurique talenta,
Auratas chlamydes, gemmas, gazaſque relinquo.
Aſpice confectos auro argentoque lebetes,
Aſpice magnifico fabricata palatia ſumptu.
Hic ubi multiplices monſtrant aſarota figuras,
Reſpice mille meis ludentes montibus agnos,
Mille greges ovium, multorum armenta, boumque;
Hæc tibi congeſſi diuturno corporis æſtu,
Sæpe fitim paſſus, paſſus plerumque calores:
Nudus humi in duris ſcopulis plerunque quievi,
Dum pluviam plena verſaret aquarius urna,
Frigore dirigui, nivibuſque geluque ſevero.
Abſtinui Venere & Baccho ludiſque relictis,
Incubui lucro, commiſi lintea ventis.
Expoſui vitam Zephyris, ſcopuliſque frequenter,
Vorticibuſque quibus ſonat irrequieta Charybdis,
Per medias nemorum latebras: ſpelæa ferarum,
Inter & armatos tranſive ſæpe latrones,
Noctem hyememq; ferens, & mille periculâ mortis.
Ut tibi congererem nummos, cumuloſq; monetæ.
Saltem ſi qua tibi cura eſt, memorare parentis,
Has tibi qui longo cumulavit tempore gazas.

Hæres.

Ne dubites: delubra tibi pulcherrima condam:
Hic ubi mille novi cingent altaria flores,
Et centena mea tibi concidet hoſtia dextra,

Quo-

Quotidie tibi quinque boves, totidemque bidentes.
Hic meus occidet gladius, cultroque cruento.
Frondiferis semper nova victima concidet aris.

Interpres.

Quot tauros immolabit, quot victimas dicabit patruo? multas scilicet, maximam hercle bonorum partem habebunt tabernæ vinariæ, partem sphæristeria, partem alea & fritilli, non modicam meretrices.

Senex.

Jamque ego nec finem timeo mortémve recuso,
Consulet huic animæ post mortem parvulus hæres.

Interpres.

Consulet gulæ potius, absumetque momento, quod tu jejunus multis annis congregasti.

Mors.

Accipe mortiferâ violentum cuspide vulnus:
Jam morere, & nostra vitam depone sagitta.

Hæres.

Mortuus est patruus, calor omnis corpore cessit.
Ecce dies optata venit, votoque frequenti,
Et nostris toties precibus quæsita recessit,
Immotas agitat nulla exhalatio venas,
Fortè tamen simulat mortem, recubatque supinus,
Ut nostri indicium tacitè cognoscat amoris.
Propterea fas est lachrymas simulare sepulchro:
Nam quid obest falso querimonia ficta ululatu?
Incipiam populis saltem pius esse videbor.
Heu patrue, imberbem sic destituisse nepotem
Te decuit fragilique prius decedere vita?
Heu quid agam quis me simili amplectetur amore
Pupillum? O utinam me Clotho inimica priorem,
Atque Acherontæas Lachesis pepulisset ad umbras.

Interpres.

Hæ sunt crocodili lachrymæ. Hæredis fletus, sub persona risus est, dicebat Publius mimogrophus.

Hæres.

Mors propera, & simili tollas mihi cuspide vitam,
Nolo ego post patruum diuturnos vivere menses.
Mors propera, & simili tollas mihi cuspide vitam.
Mortuus est gelidæque rigent per viscera venæ:
Propterea in risum suspiria vertere fas est.
Nunc aperire licet capsas, quibus ille tegebat
Thesauros longo pridem sudore paratos.
Jupiter, ô opulens numerosi copia nummi!
O immensorum locuples farrago bonorum!
Et tamen ille senex comedebat oluscula & herbas
Agrestes ficco & jejunio ventre ferebat.
Non ita parcus ero, congesta pecunia multis
Temporibus tandem è tenebris prodibit in auras,
Jam primum fas est eleganti incumbere cultu,
Auratasque meis tunicas inducere membris,
Ut populus mihi per vicos assurgat cunti,
Hinc croceos fas est cerussa ornare capillis,
Atque Cytheriaca passim discernere buxo.
Ut placeat nitidis mea forma venusta puellis,
Vultne aliquis mecum volucri certare fritillo?
Est ne aliquis dives cui grata sit alea pernox?
Surgat, ego plena statui certare crumena.

Prima meretrix.

Sorores, si quando prospera lucri occasio se se nobis obtulit, nunc maximè præsto est: adest enim adolescens, cui, ut opinor, nihil jucundius esse potest quàm inter nos (quæ meretricum sumus pulcherrimæ) conversari.

Secunda meretrix.

Egregiè sanè oportet eum tondere, aut etiam radere ad cutem. Ego has ei plumas extorquebo. Tu quæ es omnium longè astutissima, illum aggredere. Nos deinceps caput ei demulcebimus, percutiemus palpo, perungemus melle, nihilque quod peritas decet adulatrices, omittemus.

Prima

Prima meretrix.

Ut ego te lubens video pulcherrime adoleſcens, diſpeream ſi quid hodie tua forma mihi charius eſt.

Secunda meretrix.

Pol ego nec cibum ore, nec ſomnum oculis capere potui, ex quo tempore receſſiſti à nobis.

Tertia meretrix.

Amplectere me mea roſa: tuus enim amplexus charior eſt mihi vita.

Interpres.

Vide meretricum inſidias & blandimenta, cùm ſe amare ſimulant quem nec noverunt nec viderunt unquam.

Hæres.

Cognoſcitis me ſpecioſæ virgunculæ?

Prima meretrix.

Quis non noverit tam bene formatum & natum adoleſcentem, tam ſpecioſum, tam melleum, tam pulchrâ facie, ludibundis oculis, coma crocea, rubris genulis, manibus cryſtallinis, pauculo ventre, teretibus tibiis, pedibus neque obtortis, neq; oblongis?

Secunda meretrix.

Sine ut hanc oſculer manum, mi paſſercule, relinque mihi linguam in labiis, voca me tuam amiculam, tuam columbulam, tuam turturillam.

Tertia meretrix.

Væ vobis negligentes famuli, qui lutulentos tam ſpecioſi adoleſcentis calceos non detergitis! Ego hercle meâ manu hoc ipſum faciam nunc primum.

Hæres.

Dii immortales quis me felicior vivit hodie? nemo hercle uſquam.

Interpres.

Pœnitebit te felicitatis hujus.

Hæres.

Hæc mihi ridet, alia me amplectitur, alia mellitis

labiis me mordicat, lutulentos etiam detergit calceos. Nusquam gentium vidisse puto magis obsequiosas; teneræ virgunculæ, ego hos annulos auratasque crumenulas vobis dono.

Interpres.

Multas tibi plumas auferent, aut etiam relinquent implumem.

Prima meretrix.

Das mihi aureolum hoc xeniolum, mi animule?

Hæres.

Do tibi meum saccharum.

Prima meretrix.

Ego pol tui causa servabo quandiu vivam, neque erit qui extorqueat nisi mors.

Secunda meretrix.

Ego hanc passercule mi, crumenam feram non pensilem, ut solent cæteræ mulieres: sed in mammis, atque ut vicinior sit cordi prope lævam papillam.

Tertia meretrix.

Annule gemmato longè mihi charior auro,
Implicitum digitis te semper habebo decoris,
Dum memor ipsa mei, dum spiritus hos reget artus.

Hæres.

Jupiter! ut me amant istæ puellæ, emoriar si usquam gentium majus argumentum benevolentiæ reperi.

Interpres.

Non aman te, sed crumenam tuam, inconsulte.

Hæres.

Abi nebulo, ego sufficiens argumentum feci.

Interpres.

Ubi crumenam tuam exhauserint, certiùs multò periclitaberis.

Prima meretrix.

Sorores oportet adhuc aliquid æruscare, Per Jovem ego

ego morior, nisi te qualibet hora osculer plusquam millies.

Secunda meretrix.

Quum te suavior, nihil mihi durius quàm à complexu tuo avelli.

Tertia meretrix.

Permitte me pectere tuos capillos, mea rosa, & unguento delibuere.

Prima meretrix.

Pectamus ergò unà, quoniam partem obsequii volo conferre.

Secunda meretrix.

Jupiter, quàm bene olet hæc cæsaries!

Tertia meretrix.

Spirare videtur balsama & myrrham.

Hæres.

Vultisne pannos sericos ad conficienda vobis dextrocheria, amiculæ?

Prima meretrix.

Melius te decent, meum corculum: satis est mihi, dum me ames.

Hæres.

Accipite, accipite, ego his carere possum.

Secunda meretrix.

Maximè vellem habere fasciam aliquam pectoralem ad tegendas mammas.

Hæres.

Habe tibi, atque accipe.

Tertia meretrix.

Men' solam relinquis indonatam, quæ tamen plus cæteris, te amo, mi vitelle?

Hæres.

Absit, ego potius me mea tunica exuero.

Interpres.

Paulatim exhaurietur dolium, & ad fundam exsiccabitur crumena.

Prima meretrix.

Fortunatæ ſumus, ſororculæ meæ, quibus talem reperire contigit.

Secunda meretrix.

Ne vivam, niſi meis medullis plus diligam.

Interpres.

Scilicet exitus docebit.

Tertia meretrix.

Maximè mihi placent hæ plumæ, quas geſtas in pileo, mea medulla.

Hæres.

Habe tibi cum plumis pileum.

Interpres.

Implumem te relinquent & involucrem, priuſquam ab earum manibus effugias.

Prima meretrix.

Sorores, jam multum auri & argenti ab eo extorſimus: nudus eſt, ut videtis, tanquam ex matre. Periculum eſt, ne adactus paupertate velit repoſcere quod dedit, propterea ſi me auditis, properemus hinc alió.

Secunda meretrix.

Me hercule ſanè conſulis: non conſtitui tamen hinc abire quin manibus involavero furtim quicquid auri eſt in ejus ſcrinio.

Tertia meretrix.

Rapuiſti omnia? fugiamus.

Hæres.

Ego jam contuli meis amaſiis quidquid veſtimentorum indutus eram. Supereſt ut alia mihi comparem. Ibo ergo ad ſcrinium, & illic capiam unde emam Jupiter, quid iſtud eſt! latrones omnia ſurripuerunt. Perii, niſi melior fortuna ſubſidium ferat.

Interpres.

Serò ſapiunt Phryges: nolluiſti parere rectè monenti, ſi nunc aſciam cruribus tuis illiſeris, patere.

Hæres.

Hæres.

Me miſerum, ſúntne harpagatrices illæ meretriculæ quæ divitias meas ſuis manibus involaverunt? ibo ad illas, nam ſi fecerunt, joco forté fecerunt, non ſeriò. Quòd ſi ſeriò, mei tamen miſerebuntur, à quo tantum auri acceperunt; niſi miſerebuntur, nihil ſupereſt mihi niſi ut properem ad furcas, & fauces laqueo conſtringam. Salvete amaſiæ & amiculæ meæ.

Prima meretrix.

Quis hic bubulcus aut ſtabularius mulio, qui nos compellat?

Hæres.

Men' dicitis mulionem?

Secunda meretrix.

Nempe tu ſordidior es cloaca.

Hæres.

Hoc fecit mea in vos liberalitas.

Tertia meretrix.

Ecquis homo treſſis & trioboli?

Hæres.

Non agnoſcitis cui toties oſcula porrexiſtis?

Prima meretrix.

Ego te oſculata ſum, porcarie?

Secunda meretrix.

Ego te ſuaviata ſum, plagiarie nebulo?

Tertia meretrix.

Pol ego ſtercoratas meas nates non traderem tibi oſculandas.

Interpres.

Vide amicitiam meretricum, ubi omnem exhauſerunt ſuccum, perſonam non agnoſcunt.

Hæres.

Vos toties tenuiſtis me gremio.

Prima meretrix.

Te ſcabioſe?

Secunda meretrix.

Abi in malam crucem ulceroſe, putride, ſanioſe, cadaveroſe. Audes hoc probro nos afficere, ut gremio noſtro te incubuiſſe dicas?

Tertia meretrix.

Egon' huic ſemitario homuncioni genua mea reclinaverim? abi ad furcas, & ſupendete.

Interpres.

Vide ſpectator, hic prodigorum finis: ubi omnia ſtulte decoxerunt, nudi redeunt ad mendicitatem. Meretrices verò ſimiles ſunt formicis, quæ vacua granaria deſerunt, ſic bona majorum malè partæ malè dilabuntur, concludamus cum poëta:

Non minor eſt virtus, quàm quærere, parta tueri.

FINIS.

Introducuntur in hoc Dialogo, Myſtillus, Thraſones & Taratalla.

Primus Thraſo.

NUnc audit populus. Surgas Myſtille miniſter.

Myſtillus.

Exurgo, princeps.

Secundus Thraſ.

Tu Taratalla veni.

Taratalla.

Ecce adſum, dux armipotens.

Primus Thraſo.

Dum turba quieſcit,
Dic Myſtille.

Myſtillus.

Loquar.

Pri-

Primus Thraſo.

Quot mihi ſunt famuli ?

Myſtillus.

Quot Princeps ? fermè innumeri, ſed vix habet unum.

Primus Thraſo.

Quid dicis ?

Myſtillus.

Sunt ſex millia, vel Deus eſt.

Secundus Thraſo.

Ho Taratalla, veni quot ſunt mihi prædia ?

Taratalla.

Quot ſunt ?

Innumera, hoc falſum eſt.

Secundus Thraſo.

Quot mihi regna ?

Taratalla.

Decem,

Nil habet.

Secundus Thraſo.

Hem.

Taratalla.

Tu ditior es Cræſo atque Dario.

Sed nudo potius paupere pauperior.

Primus Thraſo.

Dic Myſtille : quot agrorum mihi jugera ?

Myſtillus.

Centum

Millia, vel Deus eſt.

Primus Thraſo.

Quot mihi divitiæ ?

Myſtillus.

Quas memorare queat, princeps, nemo : quia nullæ.

Primus Thraſo.

Hem,

Myſtillus.

Sunt innumeræ.

Primus Thraſo.

Nónne ?

Myſtillus.

Ita, vel Deus eſt.

Secundus Thraſo.

Dic, Taratalla, quot in caſtris mihi millia equorum ?

Taratalla.

Quot Princeps ? plus ſex millia, vix aſinus.

Secundus Thraſo.

Quot currus ?

Taratalla.

Centum, nullus.

Secundus Thraſo.

Quot caſtra ?

Taratalla.

Ducenta.

Vix habet iſte caſam.

Secundus Thraſo.

Quid canis ?

Taratalla.

Innumera.

Primus Thraſo.

Dic, Myſtille, pater quis erat mihi ?

Myſtillus.

Rex, ſed agaſo.

Primus Thraſo.

Quæ mater ?

Myſtillus.

Regis filia, ſed meretrix.

Secundus Thraſo.

Dic, Taratalla, pater mihi quis fuit ?

Taratalla.

Induperator,

Rex, Dux, atque Comes, ſed miſer agricola.

Secun-

Secundus Thraſo.

Mater?

Taratalla.

Regina, aut mendica.

Secundus Thraſo.

Quid?

Taratalla.

Induperatrix,
Obſtetrix.

Secundus Thraſo.

Frater?

Taratalla.

Rex, ſed agaſo.

Secundus Thraſo.

Quid eſt?

Taratalla.

Rex erat armipotens, ſed agreſtis mulio.

Secundus Thraſo.

Nobis
Quis cenſus, quot opes, quot bona?

Taratalla.

Multa, nihil.

Primus Thraſo.

Dic Myſtille, domi quæ vina?

Myſtillus.

Falerna, ſed unda.

Primus Thraſo.

Qualia ſunt nobis fercula?

Myſtillus.

Lauta, olera.

Primus Thraſo.

Nunquid perdices, pavi, peregrina cornix,
Multaque ſunt volucrum millia?

Myſtillus.

Multa, nihil.

Primus

Primus Thraſo.

Quæ patri veſtis ?

Myſtillus.

Quæ ? argentea, ruſtica.

Primus Thraſo.

Matri ?

Myſtillus.

Aurea, ſed multa rupta foraminibus.

Primus Thraſo.

Nupta ſoror quam dotem habuit ?

Myſtillus.

Cum divite regno
Mille talentorum millia, nil habuit.

Primus Thraſo.

Et mater ?

Myſtillus.

Duo regna, duas capras.

Primus Thraſo.

Duo fratres ?

Myſtillus.

Alter papa, alter præſul, uterque miſer.

Primus Thraſo.

Cognati ?

Myſtillus.

Reges omnes : figuli atque bubulci.

Primus Thraſo.

Quid dicis ?

Myſtillus.

Reges, ſed miſeri agricolæ.

Secundus Thraſo.

Ho Taratalla, domi quæ vaſa ?

Taratalla.

Argentea, verùm
Terrea.

Secundus Thraſo.

Quot ? nunquid plurima ?

Tara-

Taratalla.

Multa, nihil.

Secundus Thraſo.

Nunquid quotidie gero bellum ?

Taratalla.

Tu geris, ergo
Pulicibus.

Secundus Thraſo.

Nunquid ſum validus ?

Taratalla.

Validus,
Therſites alter.

Secundus Thraſo.

Nónne audax ?

Taratalla.

Inſtar Achillis.

Secundus Thraſo.

In bello quid ago ?

Taratalla.

Quid facis ? interimis,
Vermiculos.

Secundus Thraſo.

Nunquid primus paro prælia ?

Taratalla.

Primus.
Ultimus ingreditur, primus & egreditur.

Secundus Thraſo.

Fracta mihi nunquid plerumque eſt lancea ?

Taratalla.

Fracta eſt.
Servandis porcis.

Secundus Thraſo.

Ménetiment populi ?

Taratalla.

Te metuunt, propter ſcabiem.

Primus

Primus Thraſo.

Myſtille.

Myſtillus.

Magiſter.

Primus Thraſo.

Quid de me paſſim commemorant homines?
Nónne vocor prudens?

Myſtillus.

Prudens! Deus optime, prudens,
Sed ſtultus.

Primus Thraſo.

Nunquid viribus egregius?

Myſtillus.

Sancte Deus! forti Samſone potentior, atqui
Debilior muſca.

Primus Thraſo.

Quid loqueris?

Myſtillus.

Validus.

Primus Thraſo.

Quando domi maneo, quid ago?

Myſtillus.

Tu nil niſi caſtra
Ædificas, tardis bobus aratra ligas.

Primus Thraſo.

Quæ caſtra?

Myſtillus.

Ad nubes ſublimia, ſcilicet.

Primus Thraſo.

Audi,
Quot mihi ſunt equitum millia?

Myſtillus.

Multa, nihil.

Primus Thraſo.

Quot turmæ?

Myſtillus.

Myſtillus.

Innumeræ.

Secundus Thraſo.

Surgas, Taratalla.

Taratalla.

Magiſter.

Secundus Thraſo.

Quo jaceo lecto?

Taratalla.

Non niſi molliculo,
Nudus humi dormit.

Secundus Thraſo.

Quot me comitantur euntem?

Taratalla.

Cingeris innumeris, undique pulicibus.

Secundus Thraſo.

Quot dedit in bello morti mea dextera?

Taratalla.

Sancte
Jupiter innumeros! credite vermiculos.

Secundus Thraſo.

Quas aulas habeo?

Taratalla.

Pictas auro atque lapillis.

Secundus Thraſo.

Nónne?

Taratalla.

Ita, vel Deus eſt.

Secundus Thraſo.

Quot mihi ſunt pecudes?

Taratalla.

Innumeræ.

Secundus Thraſo.

Quot oves?

Taratalla.

Tercentum millia.

Secun

Secundus Thraſo.

Tauri ?

Taratalla.

Et totidem.

Secundus Thraſo.

Muli ?

Taratalla.

Millia multa, nihil.

Secundus Thraſo.

Quid comedo ?

Taratalla.

Pavos.

Secundus Thraſo.

Et quid bibo ?

Taratalla.

Nil niſi nectar.
Potat aquam, & lardo vix ſatur eſſe poteſt.

Primus Thraſo.

Myſtille, argenti atque auri quot habere talenta
Me credis ?

Myſtillus.

Tibi ſunt millia mille, nihil.

Primus Thraſo.

Quot canibus venor lepores ?

Myſtillus.

Multis : habet unum
Qui cuſtodit oves, herbigerumque gregem.

Primus Thraſo.

Num me vidiſti quondam certare ? quot urſos
Occidi ?

Myſtillus.

Innumeros, ſcilicet aut Deus eſt.
Formidare ſolet miſeros.

Secundus Thraſo.

Taratalla.

Tara-

Taratalla.

Magiſter.

Secundus Thraſo.

Dic, quot ego everti mœnia?

Taratalla.

Multa Deus?

Secundus Thraſo.

Quot turres!

Taratalla.

Centum & mediam partem unius.

Secundus Thraſo.

Ho, ho,
Quis neget hoc magnæ nobilitatis opus?
Quis neget in valido magna mihi corpore vires?

Primus Thraſo.

Quis neget æthereo me ſimilem eſſe Jovi?

Secundus Thraſo.

Thraſo recedamus quoniam brevis hora recedit,
Contenta eſt noſtris tota caterva jocis.

FINIS.

Hujus Dialogi Interlocutores ſunt, Pauper & Fortuna.

Pauper loquitur.

QUæ regina?

Fortuna.

Protens rebus Fortuna caducis,
Divitias varias ſedulitate movens.

Pauper.

Cur ſceptrum portas?

Fortuna.

Quia vaſtis impero terris,
Et me pro vero numine terra colit.

Pauper.

Quid roſa deſignat?

For-

Fortuna.

Miseros sublimat in altum,
Et sublimatos rursus ad ima trahit.

Pauper.

Quid prosunt alæ ?

Fortuna.

Subito me turbine versant,
Et quanta curram mobilitate, docent.

Pauper.

Cur tegeris larvâ ?

Fortuna.

Ne fiam cognita mundo,
Ex improviso fallere cuncta valens.

Pauper.

Cur risum simulas ?

Fortuna.

Ridendo fallere novi,
Sub risus specie deprimo quenque mei.

Pauper.

Cur pila te portat ?

Fortuna.

Me denotat esse fugacem,
Et docet instabili stare nequire loco.

Pauper.

Cur visco plena es ?

Fortuna.

Qui se putat esse beatum,
Ut posthac cursu deteriore ruat.

Pauper.

Cur inopem torques ?

Fortuna.

Ut totâ mente laboret,
Et nostro supplex pareat imperio.

Pauper.

Cur adeò levis es ?

For-

Fortuna.

Nequeo cohibere volatum,
Et me in multiplices convenit ire vias.

Pauper.

Quod nomen ?

Fortuna.

Dicunt inopes me sæpè novercam :
Divitibus cunctis dicor alumna potens.

Pauper.

Cur largiris opes ?

Fortuna.

Ut nos opulentus honoret.

Pauper.

Cur aufers illis ?

Fortuna.

Videant nempe omne caducum.
Non venit incertæ spes adhibenda rei.

Pauper.

An subitò pereunt ?

Fortuna.

Crœsi te castra docebunt :
Indicat hoc Phrygii nobilis aula Midæ.

Pauper.

An facias inopem de divite ?

Fortuna.

Lydia Crœso
Paruit, & Crœsus pertulit ipse jugum.

Pauper.

Regnas in bellis ?

Fortuna.

Victor qui dejicit hostem,
Sæpius hoc uno victus ab hoste cadit.

Pauper.

An regnas in aquis ?

Fortuna.

Fausta qui navigat unda,

Adver-

Adverso flatu mox subeunte perit.

Pauper.

Et ne potens, referas gazis fortuna ferendis?

Fortuna.

Hunc Regem facio, qui modò pastor erat.

Pauper.

Cùm tibi pervia sit donandi tanta potestas,
Et clari teneas solis utranque domum:
Da mihi virtutes.

Fortuna.

Nequeo.

Pauper.

Cur?

Fortuna.

Non ego præsum,
In nostro virtus non jacet arbitrio.

Pauper.

Sum jam decrepitus, juvenem me redde.

Fortuna.

Nequirem.

Pauper.

Da mihi cœlorum culmen.

Fortuna.

Non præferor astris,
Sed soli subsunt cælica Regna Deo.

Pauper.

Da mihi divitias stabiles.

Fortuna.

Firmæ mihi non sunt,
Et mihi nil servit mobilitate carent.

Pauper.

Ergo nihil firmum defers?

Fortuna.

Nil defero firmum,
Sed bona flatilibus do leviora Notis.

Pauper.

Cernite quàm variis fortuna volatibus errat,
Quæ bona dat, levibus sunt leviora Notis.

FINIS.

Sequentis Comœdiæ personæ; Moria, duo Mendaces, duo Deceptores, Oenopola, Pastifer, duo Stulti.

Moria loquitur.

CEnsores tetrici quos nil nisi seria dictu,
Nil nisi verborum fulmina rauca, juvat:
Contractæ frontis caperatas ponite rugas,
Ponite contracti signa supercilii.
Ludicra præsenti affertur comœdia circo,
Gaudia flebilibus larga ferens animis.
Tædia si vestro stomacho jucunda ministret
Pabula si fronti ludicra displiceant,
Ad graviam celeres discedite verba Catonum,
Grandiloqui numeros vertite Virgilii.
Seu vestræ placeat mage rauca tragœdia menti
Atque Thyestææ cœna cruenta domus:
Ite, cothurnati spectate Lycophronis artem,
Dos ubi fastosi carminis hircus adest.
Si petitis mordax satyræ liventis acetum,
Persius hoc vehemens, hoc Juvenalis habet.
Ite aliò: nullos dabis hæc commœdia fletus,
Sed pulcher tumulos hos Jovianus habet.
Deductum tenero petitis si pollice carmen,
Aut lyricis lubeat pangere carminibus:
Mulcebit patulas Venusinus Horatius aures,
Nil nisi lætificum fabula nostra dabit.
Scitis cur tumido spargam mea verba palato,
Et tumeam inflatis turgida visceribus?
Unde hæc turgiditas crevit mihi, vultis habere?

Unde

Unde gravis resono clamor in ore tonet ?
Maxima pars hominum nostra se lege gubernat,
Et nostri canones sustinet imperii.
Tempore quo celebres duxisti Roma triumphos,
Atque tuas aquilas Phœbus uterque tulit :
Millia multa tuis hominum subjecta catenis,
Roma tuæ laqueo sub ditionis erat.
Plura meas hominum patiuntur millia leges,
Plura meo collum supposuere jugo.
Moria sum Græcis, alio dixere Latini
Scriptores fatuam nomine stultitiam.
Túne vides aliquos verbis petulantibus uti,
Quos linguæ stimulat prodiga garrulitas ?
Túne vides alios qui se & sua stemmata laudant,
Et claris genitos esse canunt atavis ?
Túne vides aliquos porrectâ fronte Poëtas
Se magno similes dicere Virgilio ?
Nónne vides aliquos qui brachia inania jactant,
Seque putant magnos vincere Scipiadas ?
Nunc toto vacuum non conspicis esse cerebro,
Dignum hunc qui virides naviget Anticyras ?
Omnes stultitiæ leges & jura sequuntur,
Omnes stultitiæ sub ditione manent.
Ne plenos epulis lædent mea verba gulosos,
Qui saturi quærunt solvere ventris onus :
Incipiam ludis populum oblectare jocosis,
Cornigeræ plausus cernite stultitiæ.
Surgite stultitiæ famuli felix ego, felix
Quum nostro populus audiat imperio.
Si qui prudentes fuerint nunc lumina claudant,
Fundant ergo preces, aut choreas agitent.
Nulli prudentes adsint, quum tanta potestas
Multiloquæ semper sit data stultitiæ.
Nunc aliquo reparare joco nugisque facetis
Expedit auriti corda quieta chori.
Multiplices igitur ludos celebrare decebit,

Ut

Ut vestris plaudant amphitheatra jocis.
Surgite mendaces.

Primus mendax.

Dominæ parere necesse est
Stultitiæ.

Secundus mendax.

Domina est Moria? surgo igitur.

Moria.

Confligatis uter melius mendacia dicet,
Clarior aut verbis nugigeris fuerit.

Primus mendax.

At quæ victori concedes præmia?

Moria.

Regnum.
Regificis faciam semper adesse epulis.

Secundus mendax.

Ingeniosa igitur mendacia quærere fas est:
Mentiri incipias tu prior, heus Pylades.

Primus mendax.

Vidi barbigeras volitare per æra capras.

Secundus mendax.

In media vidi nube volare boves.

Primus mendax.

Vidi multipedes muscas pro bobus aratrum
Ducere, & impositum substinuisse jugum.

Secundus mendax.

Legislatoris vidi duo cornua Mosis.

Primus mendax.

His oculis plumas vidimus angelicas.

Secundus mendax.

Vidi carbones albos.

Primus mendax.

Ego lilia nigra.

Secundus mendax.

Facta ego compactis mœnia caseolis.

Primus mendax.

Vidi gallinas, vidi cum vulpe propinqua.

Secundus mendax.

Agnam ego jejunis concubuiſſe lupis.

Primus mendax.

Vidi qui vino meliorem diceret undam.

Secundus mendax.

Vidi qui ferulas diceret eſſe bonas.

Primus mendax.

Vidi diſcipulum pro præceptore precantem.

Secundus mendax.

Vidi qui nollet lædere diſcipulum.

Primus mendax.

Et ſcalas vidi quibus æthera Chriſtus adivit.

Secundus mendax.

Vidi qui nummos nollet habere ſenem.

Primus mendax.

Exiguum leporem vidi jugulaſſe moloſſos.

Secundus mendax.

Et muſcam vidi quæ jugulavit apros.

Primus mendax.

Et vidi colubrum tangentem ſydera criſta,
Cujus erat Stygiis cauda propinqua locis.

Secundus mendax.

Vidi formicam cujus pede facta columna eſt,
Quæ pontem in rapido ſuſtinet Eridano.

Primus mendax.

Vidi qui traheret turres ac mœnia vermem,
Atque urbem propriis ſedibus excuteret.

Secundus mendax.

Vidi cum flammis intactas urere ſtupas.

Primus mendax.

Vidi ignes gelidos.

Secundus mendax.

Ipſe nives calidas.

Pri-

Primus mendax.

Vidi piſciculum traheret qui per mare nave.

Secundus mendax.

Vidi formicam quæ Rhodanum biberit.

Primus mendax.

Vidi ramiferas quercus ductare choreas.

Secundus mendax.

Vidi ſaxa levi mobiliora Noto.

Primus mendax.

Et vidi Pario graviores marmore plumas.

Secundus mendax.

Et vacuum vidi, piſcibus eſſe fretum.

Primus mendax.

Vidi qui ferrum croceo præponeret auro.

Secundus mendax.

Vidi aſinum Græcas diſcere literulas.

Primus mendax.

Quando per Ionium traherem mea carbaſa pontum,
Et quo Dædalidem Icaron unda levat,
Vidi balenam cujus creſcebat in alvo
Sylva ingens, patulis arboribus revirens.

Secundus mendax.

Ignotum Nili peterem dum ſectilis ortum,
Luſtrarem & Phariæ templa ſuperba Deæ,
Terrigenam inveni mirâ feritate gigantem
Nubibus aëriis corpore contiguum:
Cujus major erat poples & craſſior index
Quàm Capitolinæ nobile turris opus:
Peſque unus tegeret ſex millia jugera campi,
Majores porta hac extiterant oculi.

Primus mendax.

Dum juvenis fuſcos irem peregrinus ad Afros,
Perque vagos paſſus dirigerem Numidas:
Occurrit mihi teſtudo velocior Euris,
Pervertens ulmos cornibus aëriis.

Secundus mendax.

Vidi apud Æthiopas hominem qui gutture largus
Quingentas uno dente vorabat oves.

Primus mendax.

Hoc nihil est: vidi puerum qui ventre latranti
Vel sola cæna dente voravit apros.

Secundus mendax.

Vidi qui primo tria dolia sumpserit haustu.

Primus mendax.

Vidi qui gelidas viveret inter aquas.

Secundus mendax.

Vidi qui solis gauderet vivere rapis.

Primus mendax.

Vidi homines vento quos alit aura suo.

Secundus mendax.

Vidi qui rapidis nutrirent corpora flammis.

Primus mendax.

Vidi hominem solis vivere pulicibus.

Secundus mendax.

Vidi hominem fuerat brevius cui culice corpus.

Primus mendax.

Vidi cui Solis lumine majus erat.

Secundus mendax.

Atque ego vidi hominem qui ferrum dulcius uva
Diceret, atque cavo subere non gravius.

Primus mendax.

Vidi hominem membris cui verbera dira placerent.

Secundus mendax.

In medio vidi saxa natare freto.

Primus mendax.

Majus adhuc vidi: vidi montem sine valle.

Secundus mendax.

Visa mihi vallis sic sine monte fuit.

Primus mendax.

Vidi causidicos mutos.

Secundus mendax.

Juſtos ego fures.

Primus mendax.

Et livore carens gloria viſa mihi eſt.

Moria.

Mentitum ſatis eſt, famuli: obmuteſcere mandat
Moria, tu vitula dignus, & hic vitula.
Vos ego divitibus regum præfecero caſtris,
Veſtra hinc tolletur gloria, creſcet honos.
Sufficit: ad ludos convertere vela ſecundos
Expedit: aſtuti ſurgite diſcipuli.
Contendatis uter fraudeſque doloſque parabit
Cautius, & melius ſubdola verba dabit.
Neuter muneribus mihi non donatus abibit:
Pellite corde metus, incipe Mopſe prior.

Primus deceptor.

Quid per Deos immortales in hunc vaframentis mihi fuerit contendendum, qui bardus eſt, & Amphiſtide ſtultior?

Secundus deceptor.

Men' bardum appelliras? Egon' tibi Amphiſtide magis delirus videor? Erras maximè, ſi verbis tuis mihi terrorem incuti credas.

Primus deceptor.

Terrorem tibi incutere ſi poſſim, nolim: pudet dolis & ſtratagematibus congredi, qui nec in mari quidem aquam reperias, nec in ſylvis arbores.

Secundus deceptor.

Mihi hercle difficilius fateor aquam in mari reperiſſe quàm in te falſuginis quicquam.

Primus deceptor.

Tu naſo tenus quæ futura ſunt conſpicis.

Secundus deceptor.

Tu verò occipitio tenus quæ facta ſunt advertis?

Pri-

Primus deceptor.

Sed quid unquam fraudis gloria dignum commentus es?

Secundus deceptor.

Tu verò qui tantopere gloriaris, quas unquam tragulas in homines fabricasti?

Primus deceptor.

Astutia mea saliariter & opiparè vixi semper, nec tamen obolum profudi.

Secundus deceptor.

Vulpino stratagemate nitidis semper vestimentis indutus sum, neque tamen quicquam furoribus, veteramentariis, plagionibus aut alutariis quicquam impertivi.

Primus deceptor.

Id ego mihi persuaserim, scilicet.

Secundus deceptor.

Periculum si voles, face.

Primus deceptor.

Jam primum omnium si nobis vino fuerit opus, poteris œnopolam tabernam vinariæ magistrum technis aliquibus eludere?

Secundus deceptor.

Sancte Jupiter, quid ni? illustre.

Primus deceptor.

Istuc igitur properiter fiat, videam verum nec ne fiet quod tu satis prædicas.

Secundus deceptor.

Oenopola seu venditor vinarie.

Oenopola.

Quis me vocat?

Secundus deceptor.

Adesdum: paucis te volo.

Oenopola.

Die igitur uno verbo quid est quod me velis.

Se-

Secundus deceptor.

Actutum cuncta recenſuero: iſtinc foras & peregrè quidem profecturus ſum.

Oenopola.

Quid demum?

Secundus deceptor.

Noſtin' peſtilens neſcio quod contagium paſſim locorum ſerpere?

Oenopola.

Novi.

Secundus deceptor.

Et aërem maximè contaminarum?

Oenopola.

Id eſt quod dicis.

Secundus deceptor.

Huic malo nullum magis efficax dari poteſt remedium, quàm ſi quis rejecta formidine domeſticos parietes nunquam jejunus egrediatur.

Oenopola.

Et id ego expertus ſum.

Secundus deceptor.

Velim igitur ſi quod in penu aut œnopolio tuo vinum regale & nectare dulcius tibi extiterit, pintam (ut Gallica utar) mihi actutum deferas, quo deficcatum jam guttur irrorare valeam.

Oenopola.

Faciam quod dixti.

Secundus deceptor.

Experire tu nunc commanipulo, quibus ego vertar.

Primus deceptor.

Si fuero expertus, moleſtè non feram.

Oenopola.

Heus tu qui vinum tibi deferri præceperas, adeſdum.

Secundus deceptor.

Anſpicatè veneris. Eſt ne bonum?

Oenopola.

Eſt optimum.

Secundus deceptor.

Anniculum, an bimum ?

Oenopola.

Trimum hercle.

Secundus deceptor.

Pretium accipe.

Oenopola.

Turoni duo ſuperſunt.

Secundus deceptor.

Duo, denuo id tantillum venit ?

Oenopola.

Venit ædepol.

Secundus deceptor.

Ergo igitur ideo optimum, vade, vade, nihil aliud te volebam, nunc deguſtabo & pitiſſabo ut experiar quale ſiet. Revertere inquam, tabernarie fraudulente.

Oenopola.

Quid aliud eſt ?

Secundus deceptor.

Quid aliud eſt ſcelus ?

Oenopola.

Perperam quicquam egi ?

Secundus deceptor.

Perperam quicquam egiſti ? promiſeras te vinum optimum daturum, quod non minimo venit pretio.

Oenopola.

Et hercle dedi.

Secundus deceptor.

Dediſti furcifer imò verò acetum ſtipticum & acidum pitiſſa fraudulente. Corripite ſatellites latronem hunc: hic unumquenque deludit, ſic rudes & ignaros fallit agricolas: corripite inquam ſatellites, & ad furcas nunc primùm ducite.

Oeno-

Oenopola.

Hei domine, ne velim ſic tum graviter in me ſuccenſeas, aliud ibo quæſiturus, nec tamen abs te pecuniæ quicquam exigo, quin etiam acceptas tibi reſtituo!

Secundus deceptor.

Poſt ad furcas duceris.

Oenopola.

Inopis te nunc miſereſcat mei.

Secundus deceptor.

Aliud igitur longè melius quæſiturus propera.

Oenopola.

Immortales tibi gratias ago, quòd me venia donaris.

Secundus deceptor.

Feſtina, inquam.

Oenopola.

Feſtino.

Secundus deceptor.

Quid tibi videtur tyruncule, qui me fraudis ignarum prius duxeris? vinum habeo optimum gratis quidem, aliquid nunc primum habiturus, nec obolum quidem daturus unum.

Oenopola.

Euge aliud vinum longè præſtantius, quod nec renuat Jupiter, tibi affero.

Secundus deceptor.

Ne me denuo fallas, te præſente pitiſſabo, placet iſtud, diſcede. Sed nunquam ad hunc vomitum tibi redire contingat.

Oenopola.

Vale, Domine.

Secundus deceptor.

Vale, inquam. Ignarus ne fraudis tibi videor? Nunquam ego periclitari velim, quin ipſe fraudem noveris.

Primus deceptor.

Cui vis nunc illudam?

Secundus deceptor.

Visum ſuppetit: habendus eſt cibus, verſutum ſtratagema faterer ſi quem paſtiferum poſſes eludere.

Primus deceptor.

Potero, & citius quàm tu Oenopolam fefelleris.

Secundus deceptor.

Agedum igitur.

Primus deceptor.

Paſtifer.

Paſtifer.

Ho, ho.

Primus deceptor.

Quid ho? ruſtici me dominum vocant.

Paſtifer.

Domine.

Primus deceptor.

Eſtne tibi farcimen aliquod delicatum?

Paſtifer.

Quatuor, quinque, ſex ſi voles, ſunt mihi Jovis cerebro dulciora.

Primus deceptor.

Iſtinc igitur quoddam optimum quæſiturus propera.

Paſtifer.

Acutum rediero, quinque videbitis.

Primus deceptor.

Enui O enopolam fefelliſti, vide quo ſtratagemate clarcam.

Secundus deceptor.

Videam precor.

Paſtifer.

Adeſt quod peris.

Primus deceptor.

Frigidiuſculum mihi videtur iſtud.

Paſti-

Paſtifer.

Alterum ſi voles aliquantò calidius ibo quæſiturus.

Primus deceptor.

Propera, ut vel utrunque capiam, vel alterutrum eligam.

Paſtifer.

Propero.

Primus deceptor.

Ego tantiſper dùm redierit iſtud ſubter foraminabo,& quicquid intus ſucci & carnium latet,clanculum extraham.

Secundus deceptor.

Bene eſt.

Paſtifer.

Alterum tibi offero, niſi igitur voles utrumque, alterutrum eligas.

Primus deceptor.

Iſtud noviſſimum oblatum eligo,ſufficiet ut opinor, Quanti conſtat ?

Paſtifer.

Tribus duodenis.

Primus deceptor.

Ha, tu rides.

Paſtifer.

Da duos, propter noſtram antiquam neceſſitudinem: accipe, benè vale.

Primus deceptor.

Quid ais ? quid ais ?

Secundus deceptor.

Hominem egregiè fefelliſti.

Primus deceptor.

Moria, inter promiſſa munera utrique noſtrûm exſolve qui cautius fefellerit.

Moria.

Tanta hercle mihi viſa eſt utriuſque aſtutia,& adeò

quidem ſubdola, ut utrum victorem judicem me
lateat. Nihil tamen ſitis ſolliciti, nemo ex hoc nu-
mero mihi non donatus abibit.
Tertia jam noſtræ tollenda eſt palma palæſtræ,
Surgite tyrones, ludam revocate ſequentes,
Confligatis uter veſtrûm ſit ſtultior.

Primus ſtultus.

Ipſe
Victor ero.

Secundus ſtultus.

Certè potius clavam Herculi magno
Eriperes.

Primus ſtultus.

Et Mæonio tu carmen Homero.

Moria.

Incipito, his nihilum prodeſt contendere verbis.

Primus ſtultus.

Interdum in mediis volui cœnare latrinis,
Et rapido fœdum deglubere ſtercus hiatu,
Quum tamen & carnes & candens panis adeſſent.

Secundus ſtultus.

Crater ſæpe fuit mihi calceus, unde remotis
Ebiberem cyathis.

Primus ſtultus.

Quum cœlo maximus imber
Effluëret, rapidum projeci corpus in æquor
Vitandæ cauſa pluviæ.

Secundus ſtultus.

Dum pergo, ſequenſque
Umbra mihi apparet, raptis plerunque ſagittis,
Hanc jugulare volo, vel aperto figere Marte.

Primus ſtultus.

Neſcivi plerunque parens quis me peperiſſet,
An pater, an mater.

Secundus ſtultus.

Correptas ſæpe ego muſcas

Car-

Carceribus clausi, quæ me dormire volentem
Turbarent stimulis.

Primus stultus.

Hircos mulgere bicornes
Tentavi.

Secundus stultus.

Volui interdum numerare quot essent
In pratis herbæ, vasto quot in æquore guttæ.

Primus stultus.

Sæpius in nitido Solis candore lucernam
Apposui.

Secundus stultus.

Visco squamosos capere pisces
Tentavi.

Primus stultus.

Volui conjectos ungere crines
Vel pice vel visco.

Secundus stultus.

Fallaces vivere vulpes
Cum tauris & equis volui, currumque sequentem
Jungere.

Primus stultus.

Ego vinum ranis appono bibendum.

Secundus stultus.

Dormivi in mensâ.

Primus stultus.

In lecto plerunque comedi.

Secundus stultus.

Quum vellem interdum lignis affigere clavos,
Et quo percuterem nullus mihi malleus esset,
Percussi capite, & duro me vulnere læsi.

Primus stultus.

Quum mihi quæ corpus vincirem zona deesset,
Mammarum tenus à pedibus de corpore pellem
Extraxi, & zonam tali mihi more paravi.

Secundus ſtultus.

Dum mecum ſtulti loquerentur, ſtultior eſſe
Contendi.

Primus ſtultus.

Coram populo me ſæpe poëtam
Jactavi, aut alia dixi virtute potentem.

Secundus ſtultus.

Implicitos urbis ſi forte perambulo vicos.
Obſtupeo, & miror quod culmina ſumma domorum
Non ſe reclinent, ut me plerumque ſalutent.

Primus ſtultus.

Candelam interdum pluvia aut humore madentem
Siccandam expoſui flammis.

Secundus ſtultus.

Ego ſæpe coquendas
In vitro carnes.

Primus ſtultus.

Servandas ſæpe ego milvo
Commiſi.

Secundus ſtultus.

Ipſe & alendos ſæpe moloſſis
Commiſi lepores.

Primus ſtultus.

Servandos felibus ipſe
Caſeolos.

Secundus ſtultus.

Audi, mucoſas ſæpe ego nares
Emunxi urtica.

Moria.

Ludis imponite finem.
His aures patulas ſatis eſt obtundere verbis.

Primus ſtultus.

Dic age utar tibi viſus ſtultior.

Moria.

Id mihi dictu

Diſſi-

Difficile est, adeò mihi stultus uterque videtur,
Ut dare judicium nequeam. Concludere paucis
Expedit, & finem nostris imponere nugis.
Nunc tanta humanas pungit vecordia mentes,
Ut de stultitia certent, quid mentibus illud
Imponat, princeps stultorum Moria, dixi.

Interpres.

Si tibi spectator leviuscula fortè videtur
Fabula, si modici versus, absiste precamur
Mirari: sed tu quid dicat Horatius audi.
Difficile est propriè communia ducere, tuque
Rectius Iliacum carmen deducis in actus,
Quàm si proferres ignota indictaque primus.

FINIS.

Hujus Dialogi Interlocutores sunt Fortuna & Aulicus.

Aulicus incipit.

AH Fortuna quàm egregiè me mea spe fefellisti, habebam te loco numinis, tibi assurgebam, aras tuas victimis onerabam, ut felicem aliquam mihi largireris professionem, in quâ requies esset.

Fortuna.

Nunquid abundè satisfactum est tuo voto?

Aulicus.

Satisfactum est meo voto? qui nullam unquam dormivi noctem satis ex animi sententia?

Fortuna.

Nullam noctem? fucata est igitur aulicorum prosperitas.
Nullm enim opinabar hominum genus cui prosperitas rideret melior.

Aulicus.

Nullum Fortuna, nullum cui non sit requies major.

For-

Fortuna.

Quid vos aulici estis inter delicias?

Aulicus.

Inter immunditias, Fortuna.

Fortuna.

Hoccine credibile est, sericatis comitem esse miseriam?

Aulicus.

Sericeis pannis operiuntur mille calamitates.

Fortuna.

Hoc divitiæ permittunt?

Aulicus.

Quænam illæ divitiæ?

Fortuna.

Aurum & argentum, quo vos omnes sericati consueviſtis abundare.

Aulicus.

Fortuna, qui sericati sunt, byssoque & purpura divite induti, plerunque nec obolum habent unde restim emant.

Fortuna.

Ubinam ergo absumuntur vectigales illi proventus? nonnulli vestrûm decem habent quotannis aureorum millia, an tantum thesaurum absumit venter?

Aulicus.

Fortuna, non illud est.

Fortuna.

Quid ergo?

Aulicus.

Quid alea, fritillus, sphæristerium, luxus, equorum phaleræ?

Fortuna.

Nihil ne aliud?

Aulicus.

Meretrices.

Fortuna.

Quid præterea?

Auli-

Aulicus.

Domestici latrones œconomi sæpe fingunt talento emisse, quod unico tantùm aureo emptum est. Præterea adulatores qui cauda blandiuntur, qui cervices confricant, qui percutiunt palpo, qui nos palàm plenis buccis ad cœlum ferunt, qui virtutem in nobis commendant, & hirudinum instar exugunt, quicquid possunt.

Fortuna.

Vos tamen nunquam video, nisi sericatos & gemmatos.

Aulicus.

Ha Fortuna, creditores sunt, quibus si pistrina, sylvas, stagna, fundos & prædia vendiderimus, non satis faceremus dimidiatim: Vis dicam? nos animam debemus.

Fortuna.

Semper tamen utimini sternacibus & præstantissimis equis.

Aulicus.

Ha, ha! Paupertatem dissimulamus, Fortuna, tamen sunt permulti, qui non habent unde asinum nutriant.

Fortuna.

Sed non æstimas plurimi illas epularum delicias, pavos è Samo, Phrygias attagenas, grues mellitas, hœdos recentes, pelamides Chalcedonias, murænas Tartesias, pectuculos Chios, Rhodios bolopes, scaros Cilices, nuces Thasias, quæ mensis vestris quotidie solent apponi?

Aulicus.

Egregiè dicis Fortuna, habemus interdum scarorum jecinora, phasianorum & pavonum cerebella, linguas, Phœnicopterorum, plerunque murænarum lactes, cæteraque patinæ vitellinæ cupedias: sed hoc ipsum non facit ad voluptatem.

For-

Fortuna.

Quid ni?

Aulicus.

Primum omnium non est certa hora prandii aut cœnæ.

Vivimus non nostro sed homini arbitrio, non prandamus nisi cum soli illi lubet, si cœnam aut ludum proroget, in longam noctem sumus in expectando.

Fortuna.

Quid? interim non dormitis?

Aulicus.

Ha Fortuna! piaculum est & scelus commissum non expectare dominum, nefas est dormire priusquam venerit, si liceat erunt parasiti qui vigilabunt, & gratiam & favorem præripient, & in benevolentiam domini se profundiùs intrudent.

Fortuna.

Semper tamen est vobis lauta culina, semper dapsilis mensa.

Aulicus.

Sic ita tribuis hoc magnæ felicitati, ventrem saginare, & nihil aliud proficere?

Fortuna.

Interim tamen semper vivitis.

Aulicus.

Et canes victum reperiunt, at ut lautè vivamus, putas tamen securas esse quas comedimus dapes?

Fortuna.

Unde immineret discrimen?

Aulicus.

Unde Jupiter? insidiis malevolorum.

Fortuna.

Quid dispendii possunt adferre insidiæ illæ?

Aulicus.

Quid? nescis aulicos omnes emendicasse à Longobardis venoficia?

For-

Fortuna.

Hoccine credibile eſt uti veneficiis, & portionatis oculis

Aulicus.

Utuntur Fortuna, idque ita ut nemini ſecuro eſſe liceat, nullum eſt illic frequentius malum.

Fortuna.

Quid audio?

Aulicus.

Argumentum & hiſtoriam. Vis me argumento probare quod dixi?

Fortuna.

Agedum, non recuſo.

Aulicus.

Vide apud te quot præſides & epiſcopi agminatim mortui habeantur paulo tempore.

Fortuna.

Erant fortaſſe ſenio confecti.

Aulicus.

Plerique vix mediam ætatis partem abſolverant.

Fortuna.

Ita forte placuit fatis.

Aulicus.

Fata illa accelerata ſunt, & ante maturum tempus advecta.

Fortuna.

Hoc ſi ita eſt, adhuc tamen promptum eſt vobis facile cavere.

Aulicus.

Quonam illud modo?

Fortuna.

Si fideles ſunt vobis domeſtici.

Aulicus.

Bene dicis Fortuna, ſi fideles.

Fortuna.

Nónne res ita ſe habet?

Auli-

Aulicus.

Tot habemus hoſtes, quot familiares.

Fortuna.

Omnes tamen domeſtici vos utroque genu complicato ſalutant & reverentur.

Aulicus.

Altera manu ferunt lapidem, altera panem oſtentant.

Fortuna.

Adduci nequeo ut iſtud credam.

Aulicus.

Eſt quod credas multi amicitiam verbis palàm ſimulant, qui ſub columbinâ ſpecie teterrimam ferunt caudam ſcorpionis.

Fortuna.

Et quamobrem familiares veſtri vobis inſidiarentur?

Aulicus.

Invidia.

Fortuna.

Quamobrem invidèrent? perſuadere mihi nequeo invidiam vobiſcum habitare.

Aulicus.

Hoc tantum fabuloſum eſt, quantum ſi dicas Jovem eſſe ſine liberis Portuna, nuſquam gentium, nullibi terrarum aut hominum majores ſunt ſtatus livoris aut invidiæ.

Fortuna.

Dic ergo, unde livor iſte enaſcitur?

Aulicus.

Quandoque ex fumo, ex re nihili ſi dominus ſereniore vultu huic arriſerit quàm illi ſi Taratallà ſalutet inſalutato Myſtillo, ſi arcanum aliquid committat Fabulino abſente Naſica, ſi Tertidianum propius quàm Gellium corpori ſuo admiſerit, ſi dextram porrexerit Diodoro relicto Corbulone.

For-

Fortuna.

Naſcuntur livores ex his fumis?

Aulicus.

Ex longe minoribus, Fortuna, invidia crepabit Hermogenes, ſi viderit Hiarbitam placere domino.

Fortuna.

Saltem qui benevolentiam dominorum ſibi comparant, felices putandi ſunt.

Aulicus.

Felices utcunque, ſi favor ille ſit pertinax & diuturnus.

Fortuna.

Quid? nónne ſibi conſtat principes?

Aulicus.

Ut mulieris animus, vis paucis dicam? verſatiliores ſunt Cothurno, & Proteo mutabiliores.

Fortuna.

Quamobrem mutarent ſententiam, & verſatili eſſent animo?

Aulicus.

Ha! nefas eſt percunctari cauſam.

Fortuna.

Semper tamen habent pædagogos doctrina & ſanctitate præditos.

Aulicus.

Fortuna, neſcio cui mortalium hodie ſit habenda fides. Nam qui ſeveros & tetricos palam ſe oſtendunt pædagogi, iiſdem nudato capite blandiuntur intus, & appellant Reges tragicos. Fortuna, neſcio cuinam mortalium hodie ſit habenda fides.

Fortuna.

Non confidis hominum probitati?

Aulicus.

Ubinam eſt illa probitas? in fronte? miror te adhuc iſta neſcire, quum ſis omnium rerum largitrix & domina.

For-

Fortuna.

Si conceſſero has in aulica vita eſſe calamitates, non fatebor tamen vos eſſe miſeros propterea.

Aulicus.

Quid impediet ut non fatearis?

Fortuna.

Aliæ felicitates plurimæ.

Aulicus.

Quænam ſunt illæ?

Fortuna.

Videtúrne tibi modica voluptas, diverſas regiones circumſpicere, hominum mores intueri, illuſtrare urbes, & ubique terrarum nullam non experiri voluptatem? quæ omnia vobis aulicis accedunt quotidie?

Aulicus.

Qui non experti ſunt, opinantur multum mellis eſſe in noſtra conditione: expertis verò nihil videtur deterius.

Fortuna.

Scire nequeo ſatis quorſum tendant iſthæc tua verba.

Aulicus.

Quando foras proficiſcimur, quam nobis voluptatem putas ineſſe?

Fortuna.

Eam ſaltem, quòd diverſos hominum mores videtis.

Aulicus.

Quid ſi perferamus miſerias?

Fortuna.

Miſerias! utinam miſeri omnes nihil aliud paterentur infelicitatis.

Aulicus.

Eſtne illud felicitatis, imbre humectari, cadere in lutum, in tenebris ambulare, equum habere ſtrigoſum & macilentum, dormire in cubilibus, quibus ſcabioſi,

ſcabioſi, cancroſi, leproſi, podagrici, ulceroſi, paralytici fortè jacuerunt ?

Fortuna.

Plura, ut opinor, non toleratis quàm principes veſtri, quos tamen aiunt inter delicias in culcitris ſub alaribus perdicū plumis refertis molliter quieſcere.

Aulicus.

Ut video, non ſatis noſti miſeriam noſtram, quam ut intelligas, illud imprimis compertum habe, vix unicum eſſe dominum in familia, qui benè quieſcat.

Fortuna.

Alii quid ?

Aulicus.

Nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitans, omnes imperare volunt, ſervire nulli, hic ait ſuis tantùm muneris eſſe vinum præminiſtrare domino, alius cubicularium ſe vocat, alius œconomum, non reperitur qui ea curare velit, quæ aliquid præ ſe ferant vile.

Fortuna.

Hæc tamen (ut ſuſpicor) non impediunt quò minus munda ſint omnia vobis.

Aulicus.

Immunda omnia : & quò quiſque ſordidior eſt, eò plerumq; laudatior. Alii ubi ſatis ſe ingurgitarunt vino, reclinant ebria capita & cervices in ſcamna & ſcrinia & quemcunque poſſunt locum. Videres alios ſumptum præter modum vinum ructare, alios evomere : ſi qui vigilent, dormientibus oppedunt, aut eorum nares tetro aliquo odore ſuffumigant.

Fortuna.

Verum (ut opinor) liberum eſt vobis per ocium ſtare in templis, & ab aurora uſque ad veſperum cum Diis verſari.

Aulicus.

Date mihi pelvim, hæc verba excitant nauſeam ſtomacho

macho me Aulici refugiunt templa non minus quàm carceres.

Fortuna.

Video tamen permultos eò nonnunquam ire.

Aulicus.

Hoc ergo faciunt ne impii videantur, & religionis contemptores, aut si qui fortasse illuc iverint, eunt non ut orent, sed ut devoratum plus æquo cibum longâ deambulatione digerant, aut perniciosum saturo ventre somnum fabulosis impediant colloquiis.

Fortuna.

Verùm est alia felicitas cujus nondum memini, generis vestri nobilitas immodicam laudem vobis parturit.

Aulicus.

Nobilitas nostra cogit ut velimus nolimus vitam nostram exponamus periculis, quæ Reges delirant.

Fortuna.

At cùm estis in aulâ Regiâ, & populus videt, vos sericatos, paludatos, purpuratos, gemmis ornatos, & monilibus, suspicit & veneratur.

Aulicus.

Cùm sumus in pagis nostris, aureæ vestes commutantur in penulas, gemmatæ caligæ in soccos, & si præcedens aulicæ vitæ luxuria opulentiam nostram penitus absorbuerit, subjectos radimus, extorquemus quicquid possumus, convertimus omnia pulmusculo:

Fortuna.

Si subditis, desit pecunia?

Aulicus.

Extorquemus gallinas, tauros, arietes, & quicquid agrestis gazæ comperimus: prægnantibus interdum paganorum mulierculis auferimus lectum & culcitram, & solum stramen relinquimus.

For-

Fortuna.

Non te istud movet, quòd in aulâ principum magna est spes futuri boni?

Aulicus.

Spem non video.

Fortuna.

Dant tamen interim per luxum.

Aulicus.

Frequentius per vim extorquent.

Fortuna.

Quem semel amarunt, nunquam relinquunt indotatum.

Aulicus.

Hodie te amant, cras vitrum ruperis odio prosequentur. Propterea, Fortuna, si vis mihi gratificari, eripe me his miseriis.

Fortuna.

Non constitui tibi quicquam aliud largiri.

Aulicus.

Vado ergo, nam certum est mihi unamquamque potius subire miseriam, quàm diutius huic insistere professioni: vado igitur, & me quibuscunque periculis expono. Valete auditores, & expectate hic tantisper, dum redeam.

FINIS.

Sequentis Dialogi Interlocutores sunt Amor, Salomon, Interpres, Hercules, David, & Eremita.

Amor.

SCire cupis venas quo torreat igne cupido,
Quasve gerat faculas delicioſus amor?
Quas paret insidias, quo se præmuniat homo,
Et quibus incautos arripiat laqueis?

Audi

Audi laurigeræ lusus numerosque Camœnæ!
Accipies quali vulnere lædat amor.

Salomon.

Vis fili, æternæ requiem tibi quærere vitæ,
Cœlicolasque inter cines & amæna piorum
Agmina spirituum fœlicem vivere vitam?
Abstineas vitiis, & mundo corpore vivas:
Illorum fugias commercia qui tibi virus,
Qui tibi delicias, luxusque & molle venenum
Obtulerint, & qui te ad vina & scorta vocarint.
Vis fili, hanc animam tenebris auferre malignis?
Vis Acherontææ dominum regemque cavernæ
Fallere? tartareæ vis prædam auferre Megæræ?
Abstineas verbis quæ sunt lasciva petulcis,
Immundam spirant Venerem tetramque Mephitim.
Nam prætextatos juvenes, croceaque decores
Cæsarie solet immundus corrumpere sermo,
Et tener infirmas titillat sermo medullas.
Vis fili, in tuto tua carbasa sistere portu?
Sirenum fuge blanditias, & agmina linguæ,
Et cave ne meretrix perjura & subdola casses
Comparet, atque suis pedicis tua crura moretur.
Lingua meretricis favus est, & blandior omni
Ambrosia, ficco pariter jucundior omni,
Ridet, adulatur, tremulo blanditur ocello,
Nec muris adeò firmis complexibus hærent
Flexipedes hederæ, nec mollis concha Lucrini
Arctè adeò juncta est, ut se tibi complicat illa:
Nam medium amplexans, compressaque basia donans,
Fallaci mordet linguámque humerósque labello,
Castoriique tenax vinclum promittit amoris.
Verùm ubi, tam in vacuâ sentit nihil esse crumena,
Mutatis verbis aliò vestigia mutat.

Interpres.

Sanctissima sunt hujus Salomonis præcepta, si quis eis

eis morem gereret, & tanquam oracula amplecteretur.

Salomon.

Vis fili, ad tutæ portum tranare salutis?
Despicias luxus, queis gaudet iniqua voluptas.
Quid tibi candentes prona cervice capilli?
Quid madida unguento facies, madidataque membra
Profuerint tandem, nitidæque superbia formæ?
Annulus in digitis, & gemma dives & auro?
Quidve chlamys Samii gemmis conspersa tyranni
Profuerit? quid opes, omnesque libidinis artes?
His animam pedicis trahit insidiosa voluptas.

Amor.

Te Curium tua verba docent, hic sermo parentum,
Hæc morosa refert gravitas & vita Catonem:
Attamen arrepto si vis contendere telo,
Multa quoque armatis impingere vulnera dextris,
Non renuo pugnam, aut alacri certare duello,
Sive graves cestus, & iniquo pondere massas,
Seu liceat validis torquere hastilia nervis.

Salomon.

Quis tu qui modicas audes attollere vires,
Quum tibi sit fragilis formæ nunc umbra pusillæ?

Amor.

Quis? nostine hominem?

Salomon.

Nudus mihi cerneris infans,
Pygmæo brevior.

Amor.

Major mihi corpore virtus,
Quam gracilis doceat facies, & parvula membra.

Salomon.

Dic quod nomen?

Amor.

Amor.

Salomon.

Dic quæso quas tibi vires
Præbuerit maleſuada Venus, petulanſque voluptas?

Amor.

Molliciem quamvis oculi ſplendore micantes
Promittant, teneræque manus, mellitaque membra,
Quem tamen intactæ percuſſi cuſpidis ictu,
Ardet, ut in mediis ſtipulæ ſulphurque cavernis.
Vis ſentire mei lethalem vulneris ictum?
Hoc patere, & noſtræ toleres incendia flammæ.

Salomon.

Intima quàm torrent iræ mihi viſcera flammæ!
Quis rogus in venas ſerpit? quæ incendia flagrant?
Uror, ut igniferæ perit arida ſpica ſub Ætna.
Qui morosa dabam teneri præcepta Catonis,
Carpebam imbecbis qui facta inhoneſta juventæ,
Succubui flammis, refugo quas parturit arcu
Illecebroſus Amor, fucataque melle voluptas.
Ut video, Veneri ſapientia nulla reſiſtit.

Hercules.

Sanguine clava rubens, & multa morte ferarum,
Me docet eſſe Jovis natum quem noſcit Iberus,
Et Tartaſſiaco ſemota in littore Gades,
Et quem flammiferi rutilans videt orbita Solis.
Fatidici vates noſtræ miracula vitæ,
Egregiaſque canunt vires, & robora nullis
Expugnata feris, nullis concuſſa lacertis,
Morte ferox ſerpens & fertilis ictibus Hydra,
Cui caput obryzo præcinctum ſplenduit auro,
Et deprenſa pedum curſu, celerque volatu:
Igniferas taurus ſpirans ex ore favillas,
Qui poterat terrere vagæ centum oppida Cretæ,
Concidit æratæ nodoſo robore clavæ.
Harpyias fœdis maculantes aëra pennis,
Nubibus in mediis rapui tetigique ſagittis,
Arcadas antiquos radiato Sole priores.

Ful-

Pulmineus terrebat aper sylvisque relictis
Cogebat domibus ferratos claudere postes:
Cui tamen eripui setoso in corpore vitam.
Quis dabit Alcidæ similem? mea vincula sensit
Cerberus immanis terrens Acheronta latratu.
Meque tuæ Pluton pater expavere tenebræ,
Dum me ad Tænareas invitus portitor umbras
Vexit, & informem compressi pondere navim.

Amor.

Mira refers, certasse feris, truncasse colubros.
Eripuisti animam metuendo dentibus apro
Æripedem cervum, volucer cui cesserat Eurus,
Pegasea rapuisse fuga, occidisse rapaces
Harpyias, taurum manibus jugulasse cruentis.
Hoc opus, hic labor est, cui non Maurusius Atlas
Sufficiat, valida quamvis cervice humerisque
Sustineat firmis molem stellantis Olympi.
Et quamvis tibi sint nervoso in corpore vires,
Tam robusti humeri, cervix tam firma, caputque in
Quod queat auratum secure incumbere cœlum.
Si tamen invicta mecum certare palæstra
Forte velis, ego nec tecum certare recuso.

Hercules.

Tu pupe imbellis croceo redimite capillo,
Cui sunt unguiculi molles, lascivius hœdo
Corpus, lanigera pellis quoque mollior agna,
Ridentes oculi, quales virguncula nondum
Nubilis in molli solet ostentare juventa,
Mène audes verbis incessere nudule pupe?

Amor.

Sum nudus, fateor, forma est mihi mollis, & omnes
Lascivo teneræ mihi sunt in corpore partes,
Mollius est oleo guttur, & mollior alis
Perdicum facies, & rubri more pyropi
Splendet uterque oculus, nivis instar mollia splendent
Crura, utrunque femur vincit candore ligustrum:

Quæ quamvis deceant imbelles signa puellas,
Clavigero tamen audebo certare giganti,
Et fortasse mea victus moriere sagitta.

Hercules.

Quid tua tela mihi poterunt obsistere? nunquid
Reptilis occidit magnum formica elephantem?
An forte Enceladum vincet Pygmeus, & omnes
Titanas: vincetne alacrem testudo molossum?
Has contemno minas, si quid tua spicula possunt,
Utere, missilibus terebres mihi corda sagittis.

Amor.

Accipe mortiferum vulnus cognosce sagittis
Quanta sit in nostris quamque insidiosa potestas.

Hercules.

Nunc video aligeri nihil esse Cupidinis arca
Acrius, atque tua Venus illecebrosa sagitta,
Ille ego monstrorum domitor, nunc ardeo, & uror,
Ardet ut incensis Lipare fumosa caminis:
Nunc ego me victum fateor, clypeóque relicto
Turpiter in media cedo fugitivus arena.

David.

Inter fatidicos prima est mihi gloria vates,
Et mea prospiciunt præsagi verba prophetæ,
Ille ego sum David, tortæ qui verbere fundæ,
Magna Philistæi percussi membra gigantis.
Religionis amor divino me cremat igne,
Cura mea est cœlum: duce ego pietatis amore,
Rejicio stimulos Veneris, pedicasque dolosas.
Queis solet incautos capere insidiosa libido.

Amor.

Magna tua est virtus, sola est tibi cura salutis,
Tu veneris laqueos & blandimenta recusas:
Nulla Venus tibi titillat mentemque animumque,
Plurima fatidico præsagia concinis ore,
Sacrificii tepsalmicinem sanctum esse fatentur.
Vis tamen armata mecum contendere dextra?

Jung-

Junge manum manui toto ſpectante theatro,
Non ego conflictum renuo.

David.

Tu parvula muſca,
Pygmæo brevior, tremulæ quem verbere pennæ
Concutiunt Palamedis aves ſcarabæus & ater,
Audes fatidicum lingua irritare prophetam?
Quære parem tibi Pygmæum cui debile corpus,
Cui faciles humeri, cui ſit molliſſima torma,
Nam tecum armatis manibus certare puderet.

Amor.

Experiere meo quæ ſint in vulnere vires,
Quamque pharetrigero ſit torridus ignis Amori
Ni tibi cornea ſit præduro in corpore fibra,
In venis adamas, & ſubter viſcera marmor,
Vita tibi triplex, tria colla tricorporis umbræ,
Experiere meo nihil eſſe potentius ictu.

David.

Quanta mihi Superi ſerpunt incendia venis!
Quàm mihi flagrantes torrent incendia venas!
Viſceribus calor eſt, quem Tethis utroque nequiret
Delere oceano, variiſque reciprocus undis
Euripus trimaris, pontúſve uterque Corinthi:
Nec qui venturos præſagit ſpiritus annos.
Subſidium confert ſenſim crepitante favilla
Labitur in cineres reſolutum debile corpus.
Mallem ego Theſſalicis intus frigere venenis,
Et bibere ignotas quas Caucaſus educat herbas,
Socraticæque gravem ſuccum potare cicutæ,
Prælatæque ſibi quicquid Medea Creuſæ
Præbuit, incertis cecidit cum regia flammis.

Amor.

Tu tamen audebas noſtris illudere telis,
Mortiferaſque meæ pennas ridere pharetræ:
Nónne vides quanta Veneris modò filius arte
Eminet, & jaculum quàm certo torqueat ictu?

Hæc tua, quam pateris, maneat fortuna superbis,
Sed vasto nihil esse potest sub cardine mundi,
Quod quandoque acri non torreat igne Cupido.

Eremita.

Ecce ego desertæ latebrosus cultor eremi.
Nil nisi radices comedens, lapidosaque corna;
Agrestesque herbas, quas concoquit ignis aheno
Suppositus, cui longa terunt jejunia corpus,
Ossa cutem penetrant, laxo cui viscera ventre
Dependens, macra est facies, vix languida crura
Insistunt pedibus geminis, spelæa ferarum
Incolo, quæque habitat villosa lænna latebras.
Et ne porrecto me pungat melle voluptas,
Furtivisque dolis trahat insidiosa libido,
Pungo me scuticis, & acutis vulnero flagris.
Ne lascivus Amor parvos mihi pungat ocellos,
Aut me suaviloquæ seducat forma puellæ.
Linteolo faciem mihi velo, & pectore prono
Quadrupedum aspicio tellurem more ferarum.

Amor.

Magna tua est virtus, & iter meditaris ad astra:
Macra tibi est facies, jejuno corpore latrat
Venter & ossa cutem penetrant, Veneremq; repellis:
Te faciam tamen injectis ardere favillis,
Flammataque deæ Veneris flagrare sagitta.

Eremita.

Teque tuasque faces atque ignea spicula temno:
Nec Veneris timeo pedicas: utare flagello
Qualicunque voles, virtus tibi nostra resistet.

Amor.

Experiare meæ nunc ergo vulnera dextræ,
Disce pharetrati non spernere numen Amoris.
Jupiter ignifero terras qui fulmine torquet,
Neptunus refugis qui terras alluit undis,
Exanimes torva facie qui concutit umbras,
Sustinuere meæ lethalem cuspidis ictum.

Ere-

Eremita.

Rugoſum quiſquis mira gravitate Catonem,
Atque ſupercilio Fabios Curioſque ſeveros
Mentiris, caſtaque audes te dicere vita,
Tolle tuæ rugas elataque cornua formæ,
Moribus antiquis noli confidere, quamvis
Et Veneris flammas, tenerique Cupidinis ignes
Per multos caſtus ſuperaveris ante Decembres.
Agreſtes colui latebras, atque antra ferarum,
Abſtinui Venere & Baccho, jejunia macro
Corpore ſervavi multos abſtemius annos:
Sic ut jam à Veneris ſtimulo ſecura putarem
Viſcera, & ignitas jam deſeruiſſe favillas:
Attamen ecce nova torret præcordia flamma.
Acrior igniferæ vaſta fornace Chimæræ
Sævus amor. Paucis igitur concluſio fiat,
Omnia vincit amor, nulla ſuperabilis arte.

FINIS.

Introducuntur in hoc Dialogo, *Troja*, *Salomon*, *Samſon*.

Troja.

FLete ſenes.

Salomon.

Plorate viri.

Samſon.

Lugete puellæ.

Troja.

Cauſa jubet.

Salomon.

Res eſt congrua.

Samſon.

Fata volunt.

Troja.

Flere licet.

Salomon.

Plorare juvat.

Samſon.

Lugere neceſſe eſt.

Troja.

Fletus adeſt.

Salomon.

Deſunt gaudia.

Samſon.

Riſus abeſt.

Troja.

Abſit amor.

Salomon.

Citharæ taceant.

Samſon.

Querimonia ſurgat.

Troja.

Terra fleat.

Salomon.

Doleant omnia.

Samſon.

Cuncta gemant.

Troja.

Cuncta gemant.

Salomon.

Choreæ pereant.

Samſon.

Moriantur amores.

Troja.

Cedant vana.

Salomon.

Cadant baſia.

Samſon.

Flete ſenes.

Troja.

Troja.

Flete ſenes.

Salomon.

Plorate viri.

Samſon.

Lugete puellæ.

Troja.

Cauſa jubet.

Salomon.

Res eſt congrua.

Samſon.

Fata volunt.

Troja.

Troja vocor.

Salomon.

Salomon ego ſum.

Samſon.

Samſon ego dicor.

Troja.

Pulchra fui.

Salomon.

Sapiens ipſe ego.

Samſon.

Fortis ego.

Troja.

Nos tres quos variis cruciavit fœmina damnis,
Dicemus quid ſit fœmina, quidve ferat.

Salomon.

Nos tres informi jugulavit fœmina cultro,
Fœmina cerbereum digna fovere canem.

Samſon.

Nos tres implicuit tacitis fortuna catenis,
Fœmina tartareo nubere digna Jovi.

Troja.

Nos tres in dubium contraxit fœmina rete,
Fœmina Menaliis projicienda lupis.

Salomon.

Nos tres à recto virtutum calle retraxit
Fœmina. Trinacrio viva cremanda ſpecu.

Samſon.

Nos tres Idaliæ Veneri ſervire coëgit
Sola Perillæum digna probare bovem.

Salomon.

Troja, quid eſt mulier? nam jam definire neceſſe eſt
Quid ſit, quidve ferat fœmina, Troja quid eſt?

Troja.

Eſt ex Lernæis oriunda paludibus Hydra,
Turgida ſaxificæ Gorgonis ora gerens.

Salomon.

Eſt mel interna concludens parte venenum,
Maſcula Palladia corpora voce trahens.

Samſon.

Eſt flos arcano portans in cortice vermes,
Frigida ſub nivea toxica pelle ferens.

Troja.

Eſt Siren capiens verbis fallacibus aures,
Ignoto mergens naufraga vela mari.

Salomon.

Eſt fallax blandam prætendens ſcorpio caudam,
Qui dum blanditur, mordet & interimit.

Samſon.

Eſt roſa quæ prima dulcedine fundit odorem,
At grave formoſa ſub cute virus olet.

Troja.

Eſt Circe, niſi ſe cautum quis præſtet Ulyſſem,
In fœdos vertens corpora noſtra ſues.

Salomon.

Eſt Harpyia ferox, deturpans aëra pennis,
Quæ ſolet humanum dilaniare genus.

Samſon.

Eſt ſerpens, vermis, vultur, crocodilus, & hydra,
Gorgone portentum durius hydrigena.

Troja

Troja.

Fœmina blanditur.

Salomon.

Laqueos parat.

Samſon.

Arma miniſtrat.

Troja.

Decipit.

Salomon.

Excæcat corpora.

Samſon.

Membra necat.

Troja.

Debilitat vires.

Salomon.

Hominem attrahit.

Samſon.

Oſſa perurit.

Troja.

Flet.

Salomon.

Ridet.

Samſon.

Simulat.

Troja.

Dat.

Salomon.

Petit.

Samſon.

Odit.

Troja.

Amat.

Salomon.

Haurit opes.

Samſon.

Plenas ſolet evacuare crumenas.

Troja.

Troja.
Bella gerit.
Salomon.
Frangit mœnia.
Samſon.
Caſtra domat.
Troja.
Fert violas.
Salomon.
Gaudet ſpeculis.
Samſon.
Solet eſſe jocoſa.
Troja.
Gaudet odore.
Salomon.
Petit baſia.
Samſon.
Corpus amat.
Troja.
Diſponit crines.
Salomon.
Faciem lavat.
Samſon.
Ocia quærit.
Troja.
Ludere vult.
Salomon.
Sumptu gaudet.
Samſon.
Amat choreas.
Troja.
Vult bene veſtiri.
Salomon.
Bene pecti.
Samſon.
Et pexa videri.

Troja.

It tacitè.

Salomon.

Atque mali eſt prodiga.

Samſon.

Parca boni.

Troja.

Pigreſcit.

Salomon.

Querula eſt.

Samſon.

Solet illaqueare maritum.

Troja.

Contemnit mores.

Salomon.

Eſt vaga.

Samſon.

Mobilis eſt.

Troja.

Bella movet propriis.

Salomon.

Fratres committit in armâ.

Samſon.

Auctori res eſt perniciosa ſuo.

Troja.

Cum Salomon, ſapiens fueris: ſapientia non te
Eripuit, res eſt imperiosa Venus.

Salomon.

Et tu Troja, potens fueras: te nulla redemit
Nobilitas, non te Pergamus eripuit.

Troja.

Tu Samſon robuſtus eras: nec te tua virtus
Servavit, fraudes ſæpe miniſtrat amor.

Samſon.

Incolumem nec te Priami fecere nepotes,
Troja tuæ cecidit nobilitatis bonos.

Troja.

Troja.

O Salomon, non te moles celeberrima templi
Eripuit: cautos sæpe fefellit amor.

Salomon.

Nec te Troja, tui salvam fecere Penates,
Quin minus Argolico diruta Marte fores.

Troja.

O Samson, non te præstantes robore nervi
Servarunt: scivit te superare Venus.

Samson.

Nec te præstantes Hyblæo marmore turres
Troja reservarunt, nec Venus aut Cybele.

Troja.

Priamides Phrygia si nunquam pastor ab urbe
Isset ad Argolicæ florentia mœnia Spartæ,
Uxorem Menelae tuam rapturus, haberet
Troja recens nomen, vicinaque nubibus esset
Clara domus Priami, nec putrida saxa lacerent
In campis, nec tot Simois correpta sub undis
Corpora Trojanæ prolis cooperta jacerent,
Si te, inquam, Phrygius nusquam rapuisset adulter.
Tyndari, non geminos bellis armasset Atridas
Ardor vindictæ: nec si Priameius Hector
Te jugulasset falsis, Patrocle, sub armis.
Hectora non etiam fortis mactasset Achilles:
Non itidem Paris incurvo clarissimus arcu
Læsibilem solo pede trajecessit Achillem:
Nec Paridem Pyrrhus, nec Pyrrhum immanis Orestes.
Quid reliquos omnes memorem, quos Marte siniſtro
Ipsa decennali vidi periisse ruina?
Quid jactum aëriæ summo de vertice turris
Astyanacta loquar? quid cæsa cadavera dicam?
A Græcis credas mendacia verba Maronis,

Qui

Qui canit Æneam certasse viriliter armis,
Blandiri Augusto cupiens: Maro falsa recenset,
Fatali cùm dicit equo venisse ruinam.
Nullus equus Trojam, nec machina Palladis ulla
Venit, & antiquæ patefecit limina Trojæ:
Sed Trojam Græcis reseravit proditor ipse
Æneas, sociis Heneto cum Pelydamante,
Queis comes Antenor fuerat fic dum data Græcis,
Sic me nocturna Graii invasere procella.
Quis mihi tam diræ cladis monumenta paravit?
Fœmina, quæ primos belli mihi contulit ignes.

Salomon.

Ipse ego, si nunquam muliebri captus amore
Libera fœmineis donassem colla catenis
Frivolo vanorum nunquam simulachra deorum
Pronus adorassem, non idololatra fuissem.
A vera sed quis me relligione retraxit?
Fœmina, quæ menti rationis detrahit usum.

Samson.

Non me terruerat feritas fugienda leonis,
Non me mille viri jaculis invadere quibant.
Rumpebam Paria fabricatas rupe columnas,
Frangebam silices, superabam castra, domabam
Extremos quicquid fuerat crudele per agros.
Me tamen excisо delusit fœmina crine,
Fœmina Gætulo convivere digna leoni.

Troja.

Deludit sensus.

Salomon.

Enervat corda.

Samson.

Medullas
Urit: Opes haurit.

Salomon.

Homicidia plurima
Patrat.

Sam-

Samſon.
Gaudet adulteriis.
Troja.
Stupris.
Salomon.
Inceſtibus,
Samſon.
Aſtu
Gaudet.
Troja.
Amat rixas.
Salomon.
Eſt perfida.
Samſon.
Fallit amantem.
Troja.
Decipit ignaros.
Salomon.
Et vires fortibus aufert.
Troja.
Me fregit.
Salomon.
Me me idolis ſervire coëgit.
Samſon.
Abſtulit illa mihi vires.
Troja.
Mea Pergama rupit.
Salomon.
Me ſtultum fecit.
Samſon.
Mihi crines forcipe rafit.
Troja.
Fraudibus exultat.
Salomon.
Quærit convivia.

Sam-

Samſon.

Bacchi
Orgia concelebrat.

Troja.

Populo vult grata videri.

Salomon.

Vult dicit ſapiens.

Samſon.

Quærit formoſa vocari.

Troja.

Gaudet honore.

Salomon.

Jocos adamat.

Samſon.

Vana omnia quærit.

Troja.

Eſt fallax.

Salomon.

Eſt vafra.

Samſon.

Nequit compeſcere linguam.

Troja.

Eſt mendax.

Salomon.

Et hypocriſin amat.

Samſon.

Scelus omne miniſtrat.

Troja.

Quis generi humano Paradiſi limina clauſit?

Salomon.

Fœmina. Quis lyrici cantus Davida peritum
Fecit adulterium committere?

Samſon.

Fœmina. Sed quis
Æneam valido fecit confligere Turno?

Troja.

Troja.

Fœmina. Quis veteres fecit pugnare Sabinos
Contra Romanos paſtores?

Salomon.

Fœmina. Sed quid
Cauſa fuiſſe tui narratur Pyrame cæſus?

Samſon.

Fœmina Baptiſtæ, ſed quis capitale prophetæ
Supplicium inferri præcepit?

Troja.

Fœmina. Regis
Ægiſthi natos decies quis quinque peremit?

Salomon.

Fœmina. Quis ſocios olim mutavit Ulyſſis
In porcos magno in contamine?

Samſon.

Fœmina. Sed quis
Olim Dulichium tardaſſe putatur Achillem,
Quo minus ad bellum properaret?

Troja.

Fœmina. Quis te
Sardanapale habitum muliebrem ſumere juſſit?

Salomon.

Fœmina. Sed contra te quis fortiſſime Theſeu
Juſſit Amazonides concurrere?

Samſon.

Fœmina. Verùm
Facta procis belli quæ cauſa eſt prima curulis?

Troja.

Fœmina. Quis ſobolem Davidis morte cruenta
Occidi ferro præcepit?

Salomon.

Fœmina. Samſon
Cur tam longævis odiis Agamemnona fortem
Æacides habuit quæ cauſa eſt?

Sam-

Samſon.

Fœmina. Troja,
Dicito, quis mediis ſubmergi fecit in undis
Leandrum forma ſpecioſum?

Troja.

Fœmina. Quiſnam
Orphea membratim diſcerpſit?

Salomon.

Fœmina. Sed quis
Fecit ab inferno Plutonem exurgere, & Æthe-
Frugales campo inquirere?

Samſon.

Fœmina. Quiſnam
Fecit ut Alcides vitam finiverit igni?

Troja.

Fœmina. Quis diri flamma combuſſit amoris
Infantem cæcum, cui nomen Acontius extat?

Salomon.

Fœmina. Quis propriis lacerandum Actæona quon-
dam
Donavit canibus per ſylvas?

Samſon.

Fœmina. Quiſnam
Inceſtus vitium fecit patrare Thyeſtem?

Troja.

Fœmina. Quis vaſta ſorberi fecit aby ſſo
Amphiaraum vatem Græcorum?

Salomon.

Fœmina. Quiſnam
Andromedem fecit monſtro expoſuiſſe marino?

Samſon.

Fœmina. Quis frenis rapidorum fecit equorum
Hippolytum juvenem diſcerpi?

Troja.

Fœmina. Quiſnam
Romulete cum fratre tuo projecit in undas?

Salo-

Salomon.

Fœmina. Quis pariter furioſo ſuaſit Oreſti
Ut Pyrrhum gladio jugularet ?

Samſon.

Fœmina. Quiſnam.
Ficit ut immani gladio ſe occiderit ultro
Petus. Quis ſuaſit Pelopi ut ſe mergeret undis ?

Troja.

Fœmina. Quis contra Lapithas certare bimembres
Arboribus juſſit Centauros ?

Salomon.

Fœmina. Verùm
Quis ſceleris falſo accuſavit Pelea fortem ?

Samſon.

Fœmina. Quis tenerum à colubro permiſit Opheltem
Dimiſſum in campis occidi ?

Troja.

Fœmina. Verùm
Quis filum in lanas robuſtis nere lacertis
Amphitryoniadem ſtimulavit ?

Salomon.

Fœmina. Sed quid
Argolicum Regem fecit pugnare Dario ?

Samſon.

Fœmina. Quis proprio ſibi mortem adſciſcere cultro
Impulit indigna pereuntem morte Lycamben ?

Troja.

Fœmina. Lyſimacho formoſum occidere natum
Quis quæſo verbis perſuaſit ?

Salomon.

Fœmina. Quiſnam
Fecit ut Archemorum extinxerit anguis in herba ?

Samſon.

Fœmina. Quis Phœbo Græcis immittere pectem
Suaſit, & innumeras ærumnas ?

Troja.

Troja.

Fœmina. Sat ſit,
Fœminea ſatis hic fuimus de fraude locuti:
Plura tamen reſtant, & adhuc majora ſuperſunt.

Salomon.

Sunt quæ ſe perimunt.

Samſon.

Sunt quæ jugulare maritos
Nituntur.

Troja.

Sunt quæ vigilant occidere fratres.

Salomon.

Sunt quæ bella movent.

Samſon.

Sunt quæ nec ſtupra nec ullas
Spumigenæ Veneris flammas vitare laborant.

Troja.

Byblis concubuit fratri, & tandem ſibi mortem
Conſcivit laqueo.

Salomon.

Canace de fratre ſceleſte
Infantem peperit.

Samſon.

Sed quid? concumbere patri
Myrrha furens non erubuit.

Troja.

Mixta eſt quoque patri
Nyctimene.

Salomon.

Docti Chryſeis mater Homeri
Fecit adulterium.

Samſon.

Pulchram Nycteida tauri
Cæcus amor traxit.

Troja.

Facti de crinibus angues

Palla-

Palladis in templo liventis facta Meduſæ
Stupra docent.

Salomon.

Tanto longæva Semiramis igni
Ferbuit, & tanta Veneris fuit incita flamma,
Ut brutalis equi, ne dum commercia nati
Quæfierit.

Samſon.

Matrem fertur noviſſe Jocaſtam
Oedipus.

Troja.

Inſano ſe Demophoontis amore
Suſpendit Phyllis.

Salomon.

Matris delubra Cybelles
Hippomenis coitu violare auſa eſt Atalanta.

Samſon.

Abſyrtum fratrem lacerans Medea necavit,
Atque ut prædonem ſequeretur Jaſona, patrem
Decepit, tandem à profugo deſerta marito,
Occidit natos.

Troja.

Celebrans trieterica Bacchi
Penthea formoſum mater jugulavit Agave.

Salomon.

Ignaro coram fallax Theroclea marito
Innocuum juvenem falſi accuſare reatus
Non verita eſt.

Samſon.

Non erubuit ſæviſſima Progne
Occiſum natum comedendum offerre marito.

Troja.

Ægypti præſes ſeſe Cleopatra peremit.

Salomon.

Erigone laqueo vitam clauſiſſe putatur.

Sam-

Samſon.

Ino cum puero Melicerta ſe dedit eſcam
Pilcibus,

Troja.

Æthiopam Circe impellente putatur
Dimiſiſſe Lycas.

Salomon.

Doctæ præferre Minervæ
Se non erubuit dextris ſubtilis Arachne.

Samſon.

Pellibus hircinis Iſaac Rebecca feſellit.

Troja.

Et Capitolinam virgo Marpeia turrim
Donavit regi Latio, populiſque Sabinis.

Salomon.

Et variis Circe novit mutare figuris
Incautos homines.

Samſon.

Regina Cherotina cives
Innocuos non erubuit transfigere ferro.

Troja.

Et Cyri paritèr junioris reproba mater,
Fecit ut immundos alerent ſibi corpora vermes,
Queis corroſa forent.

Salomon.

Mulier ſceleratæ Polyxo
Fecit ut arboreis Helenam pendere lacertis.

Samſon.

Conſcivitque ſibi gladio Sophronia mortem.

Troja.

Tullia cauſa tuæ mortis fuit optime Servi.

Salomon.

Luxurioſa fuit quoque Julia.

Samſon.

Bacchades omnes
Ebria nocturno replebant guttura potu.

Troja.

Troja.

Hæc eſt fœmineæ prolis clariſſima virtus,

Salomon.

Hæc bene facta patent muliebria.

Samſon.

Cernite quales

Sint luſus, qualeſque joci, qualiſve voluptas.

Troja.

Si cautos homines deludat fœmina fallax,
Quid mirum, cùm luxuriæ ſervire potentes
Fecerit illa Deos?

Salomon.

Fama eſt ex ſideris aula
Deſcendiſſe Jovem toties.

Samſon.

Dixere Poëtæ
Diverſas ſolitos olim veſtire figuras
Eſſe Deos, quò luxuriam complere valerent.

Troja.

Jupiter Europam delufit imagine tauri.

Salomon.

Ab Jove quæ fuerat volitans effecta coturnix,
Aſterie, Jovis armigeri certamine rapta eſt.

Samſon.

Jupiter effigiem nivei veſtitus oloris
Fecit olorinæ Ledam ſuccumbere pennæ.

Troja.

Jupiter in Satyrum quondam Nicteida verſus,
Antiopam implevit gremio peperitque gemellos.

Salomon.

Amphitryonis habens ſpeciem te Alcmena fefellit.

Samſon.

Te pariter rapuit Danaë pluvia aurea factus.

Troja.

Ignis erat quando peramatam Aſopida luſit;

Salo-

Salomon.

Mnemosynen rapuit pastoris imagine capta.

Samson.

In colubrum versus aliam rapuisse putatur.

Troja.

Quid de Neptuno memorem, quem forma juvenci:
Formosæ lectum fecit temerare puellæ?

Salomon.

Idem & Aloidas geminos simulatus Enipeus
Suscepit.

Samson.

Pulchram rapuit Bisaltida balans,
Effectus vervex.

Troja.

Et frugum flava repertrix
Neptuno miscetur equo.

Salomon.

Sensit quoque talem
Hydrigenis horrens colubris tua Pegase mater,

Samson.

Fœmina multorum scelerum est amplissima causa.

Troja.

Oppressit pariter Macharcida Cynthius olim
Pastoris formam non dedignatus Apollo.

Salomon.

Erigonem Bacchus rapuit mutatus in uvam.

Samson.

Ut Saturnus equum se finxerit, hoc tibi notum
Phyllira: nam de te genuit Chirona bimembrem.

Troja.

Si lasciva Deos in tantum traxerit ignem
Fœmina, diversis ut se vestire figuris
Sint soliti pro luxuria, quid dixero mirum
Si pereant homines?

Salomon.

Fertur superare gigantes

Jupiter: ipse tamen muliebri est victus amore.

Samson.

Te colubri rapiant rabidi, sis præda leonum,
Te voret infernus, perimat te cuspide tigris,
Omnia te fugiant, te tartara sola requirant,
Te crucient Superi, pulsataque more triumpi,
Æquoreis pereas tanquam Palinurus in undis,
Prospera nulla tibi sit nox, nullum tibi tempus
Vitæ sit, Phœbus renuat ibi spargere lumen.
Non tibi demonstret rubicundum Cynthia cornu,
Te comedant vermes, tellus tibi deneget uvas,
Pontus aquas, & flava Ceres det tibi germen,
Mille tibi veniant morbi, te mergat abyssus.
Fel tibi pro potu detur, tibi sit malus aër,
Sit tibi rara quies, perimat te frigida pestis,
Non tibi sint epulæ, nisi stercora: semper abunds
Fletibus assiduis, singultibus ilia rumpe.
Aut moriare siti, vel missum ex æthere fulmen
Te perimat, moriare fame, te mille dolores
Perpetuò vexent, aliquis te devoret ursus,
Te perimant tigres, pascant tua viscera corvos,
Cerbereis nubas canibus, facies tibi crebris
Humescat lacrymis, precor ut non ante quiescas,
Quàm se blanda lupis comedendam præbeat agua.
Semper vexeris, nullum faveat tibi lumen,
Est ne satis? non, non: victum tibi terra recuset,
Morte repentina pereas, væ, væ tibi fallax
Fœmina sanguineas dignissima pascere tigres,
Pascere digna lupos, digna est satiare leones,
Sed brevis ut stricta fiat conclusio pausa,
Fertilis in terrâ paucos natura creavit,
Quos flamma intactos mulier sceleratа relinquat.
Vicerunt multi colubros, portenta, leones,
Quos tamen immundo superavit fœmina luxu.

FINIS.

In

In hoc Dialogo introducuntur, quæ facilè agnoscentur.

Pavo.

POstquam centoculum domuit Cillenius Hermes
Pastorem, ipsius tribuit mihi pronuba Juno
Insomnes oculos, caudæ apponendo superbæ.
Sum Pavo, gaudens multum sublimibus alis,
Regalesque domos habitans: nobis caro dura est,
Vox Satanæ par est, incedo more latronum,
Scintillant pennæ. Samos insula protulit: ipsa
Me Juno servat, dicor Junonius ales.

Aquila.

Si quis laudet aves, præferri debeo cunctis,
In cœlum nulla territa nube volans.
Me Jovis armigerum veteres dixere poetæ.
Dicta ego sum reliquis pulchrior alitibus,
Quando formosus Ganymedes natus in Ida
Arguto dulces pangeret ore jocos:
Hunc ipsa innocuis raptum unguibus intuli ad astra,
Namque erat illius forma decora Jovi.
Nulla avis est quæ me possit superare volatu,
Sola aquila est summi fida ministra Jovis.

Cygnus.

Cygnus ego dicor, veteres qui primus Amyclas
Incolui gratus divis, qui dirigo curtum
Idaliæ Veneris, nam me Venus aurea servat.
Est mihi Sirenum cantus: nam morte propinqua
Defleo venturum facundo gutture finem,
Præsagusque meæ mortis dulcem effero cantum.
Pennarum corpus fluviali aspergere lympha
Gaudens, & vastis alas immergere stagnis.
Non habitare casas soleo, regalibus aulis

Exulto: si quis duro me vulnere lædat,
Et vivum perimat, citò pascet in arbore corvos.

Vultur.

Vultur ego appellor: curvatos mordicus ungues
Hostibus infigens, fœda ego dicor avis.
Et putri infestas assumo cadavere carnes
Et mihi quæque caro mortua præda fuit.
Me multi quamvis odioso carmine spernant,
Et reliquis dicar fœdior alitibus:
Non tamen olfacta reperitur charior ales,
Non homo, non pardus, non leo, non aquila.

Bubo.

Bubo vocor modulis semper feralibus utens,
Infortunatis referens præsagia rebus.
Me cunctæ fugiunt volucres, cunctæq; repellunt
Unde ego dum reliquæ volitant, absconditа tectis
Deliteo, quando tenebrosa nocte quiescunt,
Obscuram celeres immitto per aëra pennas,
Et tanquam fures radiosum negligo lumen.
Si forsan cantet ferali carmine bubo,
Tristia venturæ docet infortunia pestis.

Grus.

Grus vocor: agresti semper nocitura colono,
Nam missum in viridi detrahо germen agro,
Nascentesque fabas depascor mollibus arvis,
Unde grues nunquam curvus arator amat:
Nunquam sola volo: lateri semper comes astat,
Aërium nunquam turba peragrat iter.
Turmatim incedunt sociæ, perque aëra pennis
Unitæ scindunt sum, Palamedis avis.

Cornix.

Appellor nymbosæ hyemis prænuncia cornix,
Cras cras cras canto, durus sed me odit arator,
Namque nuces rapio, at quisquis cognoverit artem
Augurii, expertus rebus dare signa futuris,
Corniceм foveat quoniam dignissima semper

Ales

Ales aruſpicio cornix memoratur habendo,
Et quanquam toto nigra ſit mihi corpore pluma,
Simque nigra, ipſe tamen me Phœbus ſemper amavit.

Perdix.

Inter aves reliquas dicor mœſtiſſima perdix.
Inter primatas prima ego quæror aves,
Me noctu inquirunt domini, laqueóſque miniſtrant,
Ut miſera in caſſes pergere poſſit avis.
Cur me tot laqueis inſidus decipit auceps?
Præ reliquis avibus eſt mihi grata caro.
Vilibus an cernas prætendi retia corvis?
Non: nimia dura eſt aſperitate caro.
Verùm ſum mollis, domino comedenda miniſtro,
Et ſoleo ſummis regibus eſſe cibus.

Milvus.

Sum milvus pullis & gallinis odioſus:
Nam cùm dira fames vacuo me ventre laceſſit,
Huc illuc, iſtuc gradior, redeo atque recurro,
Hinc, iſtinc, illinc redeo, ſto illic, hic & iſtic,
Hac, illac, iſtac pernici tranſeo penna,
Tandem ego dum levibus ſecui ſatis aëra pennis,
Ore cibum arripio tollens ad ſydera prædam,
Inſidior pullis: luget gallina, nec ultrà
Correptum expectat fœtum. Quiſquis bene vivis,
A te milvinos ſemper procul ejice fures.

Phœnix.

Solus ego Phœnix annoſo tempore vivo,
In ſummis degens montibus Arcadiæ.
Rarus ego in terris: quicquid ratum precioſum eſt,
Aurum ſic fero rarius eſſe vides.
Poſtquam quod dederit tempus fortuna peregi,
Cogor & extremos claudere morte dies:
E ſylvis magnos lignorum congero acervos
Incenſo tradens oſſa cremenda rogo.

Anſer.

Anſer ego dicor, ſtrepiro ſed garrulus ore,
Per quem ſervata eſt à Gallo milite Roma,
Dum Capitolinam cupiens invadere turrim,
Hoſtica Romuleis tentorio figeret armis.
Semper ego ſervo fluvios, & nutrio plumam,
Qua poſſint homines mollem contexere lectum.
Hoc in me ſcelus eſt, nimiæ quòd garrulitatis
Fœmineo generi prohibent me exempla dediſſe.

Accipiter.

Accipitrem aërium cautus me nominat auceps,
Quòd reliquas poſſim fallere primus aves,
Me ſemper felix dominorum dextera portat,
Ut reliquas volucres protinus ore ſequar.
Non ego ſum veluti milvus, ſed differo ab illo:
Nam ſolùm pro ſe quæritat ipſe cibum.
Ipſe mihi & domino per quirere geſtio prædam,
Poſſeſſor, raptor non ego dicar avis.
Cruribus apta meis ego tintinnabula geſto;
Ut ſic ſim reliquas notior inter aves.

Gallus.

Sum gallus, mediæ deſignans tempora noctis,
Auroramque canens dum primæ clara diei
Lux oritur, tenebriſque micat lux alma fugatis.
Me cum gallinis, ſæpè in prædam improbus aufert
Armatus miles, dum villas tranſit agreſtes.
Carnem habeo mollem breviorem dat caro vitam.
Si fierem corvus me nullus miles amaret.
In parvis habito domibus: nam diligo granum
Quod dat aratori cereali meſſis ariſta.

Pſittacus.

Pſittacus appellor, viridis cui ſplendicat ala,
Inter pennatas primus habendus aves.
Sum ſiquidem humana qui voce propinquius utor,
Humanum viſus ſæpè ſonare ſonum.
Præſenti populo pergratum profero χαῖρε

Vox

Vox mea me multis denotat esse hominem.
Qui me conspiciunt credunt mirabile visu,
Quòd pennata hominum voce loquatur avis.

Hirundo.

Garrula venturæ æstatis prænuncia hirundo
Dicor, quæ soleo in summis habitare caminis,
Erectos nidos æstivum & diligo tempus.
Exoptet quamvis hyemalia tempora cornix.
Nam ego prima hyeme, & dum nullo frigora regnant
Intercepta gelu, discedo & desero frigus,
Ad calidas partes orientis abire coacta:
Nec semper ver est, si sola volarit hirundo.

Passer.

Plumeus appellor passer, qui tempore verno
Gaudeo prædulci sæpius ore canens.
Gaudeo per virides victum mihi quærere sylvas,
Et si sum exilis, dulciter ore cano
Quisq uis eris magnus, caveas contemnere parvos:
Sæpe etenim magnos corpora parva domant.

Gryphus.

Gryphus ego dicor diris metuendus in armis,
Cui nusquam Lybici possunt certare leones,
Non pariter fœtu tigris lymphatica rapto
Constricti mihi sunt ungues, ac ungula mordax,
Qua penetro clypeos: mihi nec lorica nec ensis,
Nec galea obsistunt, armatum bellicus unguis
Sublimare potest equitem, non se mihi Gorgon
Offerat, aut validi summus labor Herculis Hydra.
Gryphus ego appellor, qui cunctas vincere solus
Dicor aves, odiosus equis: etenim mihi pugna est
Quas me semper equis hostem conferre necesse est

Mergus.

Me summi pascunt proceres, quoniam caro mollis
Est mihi, sic molli carne peremptus ero.

Pelicanus.

Sum Pelicanus, reliquas qui vinco volucres
Alituumque genus: qui roſtro vulnero corpus
Et mihi pro pullis lugubrem comparo mortem:
Nam mihi trajecto veniens è pectore ſanguis
Educit naros, tanti eſt mihi pignus amoris.
Quiſquis es, in vitâ proprios ſic dilige natos,
Et tu perpetuæ nomen lucrabere famæ.

Turtur.

Sum turtur lachrymans, vivens per paſcua granis
Agricolis ſemper ſic odioſa fui.

Anas.

Appellor fluvialis anas, quæ ſemper arenis
Infigo noſtrum limo victum mihi quærens,
Sæpe hinc evitrans alacres balliſta ſagittas,
Dulcibus in fluviis (dubium mors impia funus
Præparat) infigit, nec poſſum occurrere telo.

In Dialogum ſequentem.

ARGUMENTUM.

Maximilianus Frederici Cæſaris filius bellici furoris ſuaſu Gallis bellum minitatur, quî ad imperiali diadema iter ei præcluſerant, rejectaque pace, fortunæ arborem aſcendendo in terram lapſus proprio ſe tentat confodere gladio. Pacis tamen conſilio ac monitis ad ſe reverſus, bellicum furorem tandem ejicit.

Collocutores, Maximilianus, Furor Bellicus, & Pax.

Maximilianus incipit.

ERgóne Francigenæ durum patiere ferocis
Roma jugú tantum ne ferat ſine Marte triumphum
Gallus

Gallus & immenſum quondam dominata per orbē
Ardua barbaricus ſubiget Capitolia Mavors?
Sic ne Quirinales nullo mihi Franca cruore
Lilia præripient faces? ſpoliabor avitis
Sedibus? an Latii nobis illuſtre ſiniſter
Invidet altritonans ſceptrum, fiamne paterni
Ex hæres ſolii? potius reſoluta dehiſcat
Terra mihi, aut Stygias me Jupiter igne ſub undas
Trudat, & immanis jecur immortale recurvo
Vultur edat roſtro latóve Ixionis orbi
Inſerar, & corpus fugiamque ſequarque rotatum,
Perpetuóve feram tua Siſyphe ſaxa labore,
Maláve ſiccatis fugientia prendere labris
Cogar, & arenti lymphas haurire palato.

Furor bellicus.

Sic igitur totum peráges inglorius ævum,
Nec primæ quicquam conaberis addere laudi?
Quò vires abiere tuæ? quo vivida quondam
Dexteræ? quò Latiæ virtus mavortia gentis?
Siccine degenerant aquilæ, ſic maſcula cedunt
Pectora, quæ Medos toties Gallumque comatum
Nervoſaque manu fortes domuere Lemanos?
Sic tibi Romuleum claudet ſine ſanguine Gallus
Ad diadema viam? nodo ſua colla jugali
Roma dabit, Libycæque lues Oenotria vulpis?
Nunc age Martigenas accerſe in bella cohortes,
Et toto Heſperium petito molimine regnum.
Nónne parata ferox pro laude ſubire duellum
Suppetit ala tibi? ſed quænam tanta retardat
Segnicies? abrumpe moras differre paratis
Sæpe nocet.

Maximilianus.

Superos & conſcia ſydera teſtor,
Auſonias vel ego nulla prohibente ſecures
Aſſequar, aut diræ, numeroſo milite fretus
Obvia quæque dabo morti temeraria, diſcet

Gallica Romanæ quàm magna potentia genti.
Quàm validæ armatos dextra prorumpit in hostes.

Furor.

Egregium haud dubiè, Latio nec inutile sceptro
Moliris facinus sic nomen ad alta volabit
Astra tuum, totoque potens dominaberis orbi.
Sic fortes Marius Cymbros, Pœnumque, Jugurtham
Sub sua sanguineo juga Marte venire coëgit,
Sic Senonum populos Cæsar, flavosque Britannos,
Arvernosque truces, Germanorumque subegit
Oppida, sic urbes atque arva Philistica David,
Et Carthagineas delevit Scipio turrres.

Pax.

Quò raperis demens? quænam te vexat Erinnys?
Quæ nova successit rabies? hæc tradita regi
Dextera Liligero? quisnam te talia Cæsar,
Tam subitus posito furor egit in arma calore?
Siccine sancta pie dissolves vincula pacis?
Iſtaque inhumano temerabis fœdera ritu?
Jam tandem assuetos, bellorum Auguste tumultus
Comprime bifrontis claudantur limina Jani.

Furor.

Delirat, nimióve madent post prandia Baccho,
Et stabili raptæ hæc detrusa est cardine mentis.
Tolle moras vanumque necis depone pavorem,
Mors etenim forti magis expectanda Monarchæ,
Quàm metuenda venit; contempsit Scævola mortē,
Contempsit Decius, fortis contempsit Achilles.

Maximilianus.

Scilicet infensos quà tristis Enyo per hostes,
Qui fortuna trahet ferro tentanda cruento.
Est via, qua Tyrio tandem conspectus in ostro
Alta triumphali veharin Capitolia curru.

Pax.

Aëre tamen levis es, fulvo caret arca metallo:
Unde sibi accitus stipendia miles habebit?

Maxi-

Maximilianus.

Id patiar Orajis tumidum prius arca profundum
Aut tenuis solo formica vorabit hiatu.

Pax.

Heu rationis inops tibi jam canescere crines
Incipiunt, tempusne ferum compescere Martem
Decrepitos saltem curis mordacibus annos
Exue & emeritæ pacem concede senectæ:
Otia vult senium.

Maximilianus.

Nolisque volisque virili
In pugam prodibo manu, totisque superbos
Viribus in Celtas, Gallumque movebo rebellem.

Pax.

Non ita principibus subeunda pericula primo
Intuitu veniunt: æquali singuli lance
Sunt trutinanda prius, celeri quàm linter vento
Carbasa credantur, nec enim sua farra colonus
Culta mandat humo, donec quæ sydera picto
Imperitent cœlo, varia exploravit arte.
Adde quòd antiquis bellorum attrita ruinis
Roma diu optatam sub te sperare quietem
Incipit, & vultu Saturnia terra supino
Orat ut effrenem studeas pacare Gradivum.

Maximilianus.

Ecquid adhuc nostræ frustra circumstrepis auri?
Inculto nullum est olitori fœnus ab horto:
Nec nisi cum magno pariter sudore triumphus.
Si fortasse cadam, missaque per aëra telo
Trajectus moriar, qui Romula regna gubernet,
Et mea nudato qui funera vindicet ense,
Dives opum, belloque potens successor abundat.
Præterea assiduis vitam clausisse sub armis,
Laus erit, at patrios redeam si victor in agros,
Digna profecto mihi merces, celebrisque resurget
Gloria, si verò caluam contraria frontem

Prætendat Nemenſis, Galloque ſubactus ab hoſte
Triſtibus adlicar tenebroſa carcere pœnis,
Parva quidem ductoris erit jactura redempti.

Pax.

In te quæſo redi: tantum moderare furorem
Cæſar, & indomitum tondere cavето leonem.
Nec temere ancipiti puppis credatur Abydo.
Compertúmne tibi ſatis eſt quàm vivida Gallis
Dextera, quam calidus vegetet prærordia ſanguis?
Hoc equidem Paduana ſatis, ſatis Italia norunt
Arva, ſat Allobroges, ſtudiiſque aſperrima belli
Parthenope, & campo ſtratus Genuenſis aperto,
Octavoque probat devicta Britannia Carlo.
Nulla etenim Supero tellûs ſupponitur axi,
Quam non armipotens æquo certamine vincat
Francia, virtutis gladius muraſque ſuperbis
Æneus in Turcas adamantinus omnia contra
Tela Gothi clypeus, quem non truculentus acuto
Rhinoceros cornu, quem non laniare ſuperbus
Poſſit aper, Venetuſque leo, parduſque rebellis.

Maximilianus.

Fœmineóne regam voto? diſcede.

Pax.

Relictam
Perfide, ſed ſerò repetes.

Maximilianus.

Commercia tecum
Poſthac nulla velim.

Pax.

Facti te ſæpe pigebit,
Sed tardè gregibus clauduntur ovilia raptis.

Furor.

Fac âge nobilium tibi ſceptra gerenda Quiritum
Dentur, & auſpicibus Superis ad ſumma vehare
Culmina fortunæ: fac imperialia forti
Arma manu, Latiique geras inſignia regis:

Ut

Ut postquam exierit voti sententia compos.
Dum Venetas Francus properat Lodoicus in oras
Majori Gallos moveas molimine.

Maximilianus.

Jacta est
Alea.

Pax.

Quò male sane ruis? tibi scilicet ingens
Exorietur honos.

Maximilianus.

Procul hinc fuge, nihil mihi tecum
Amplius.

Pax.

Hinc igitur cedam, proh quanta malorum,
Ilias Ausoniis impendet finibus! unde,
Unde tibi ista recens rabies præcordia pulsat?

Furor.

Quis novus este fragor? tibi rex Romane caveto.
Ecce prehensa manu nimio frons pondere pressa
Rumpitur.

Maxiamilianus.

O fatis nimium contraria nostris
Fata! sub æthereo quisquam ne infaustior axe?
Semper an ingenti curarum mole sepultus
Vixero? quin moriar potius, potiusque supremam
Fatifera lucem claudat mors turbida falce.
Discite primates orbis, qui lata tenetis
Imperia, incertæ nimium non credere sorti.
Quin morere, & stygias ultro descende sub umbras,
Intima transfossus proprio præcordia telo.

Pax.

Siste manum, positis animum compesce frenis,
Et temerata precor meliori fœdera firmes
Robore, nec vano Gallorum regna deinceps
Marte velute torvum formica lacesse leonem.
Cerne quot egregii Francis è finibus olim

Emer-

Emersere viri, sævi quos fulmina belli
Alpinas armis domuere minantibus urbes,
Hungarus hoc Scythico novit prognatus ab Hunno
Antiquumque trahens Abrahami à conjuge nomen
Sarracenus atrox, spurcique potentia verbi.

Maximilianus.

Martie cede furor.

Pax.

Præstat concordia bello.

Maximilianus.

Præstat dissidio.

Pax.

Martie cede furor.

Maximilianus.

Pace vireta nitent.

Pax.

Fructus habet arbor amænos.

Maximilianus.

Arbor habet fructus.

Pax.

Pace vireta nitent.

Maximilianus.

Appetit arma furor.

Pax.

Reddit fine cultibus aras.

Maximilianus.

Depopulatur agros.

Pax.

Appetit arma furor.

Maximilianus.

Obvia quæque necat.

Pax.

Sontes discrimine nullo
Sternit & insontes.

Maxi-

Maximilianus.

Obvia quæque necat

Pax.

Pace Minerva viget.

Maximilianus.

Vastat furor arva cruentus.

Pax.

Arva furor vastat.

Maximilianus.

Pace Minerva viget.

Pax.

Impie cede furor.

Maximilianus.

Sceptro inclementia regés
Efficit indignos.

Pax.

Impie cede furor.

Gallica plaude manus, mœror procul omnis abesto;
Mœror abesto procul, Gallia plaude manus,
Franca per Oenotrios fruticantur lilia fines,
Lilia coccineis anteferenda rosis:
Lilia stellatum tangentia culmine cœlum,
Lilia supremi dona beata Jovis.
Ecce redit Veneto victor Lodoicus ab orbe,
Succubuitque tuo Brixia victa jugo:
Succubuit longo superata Cremona labore,
Plaude tibi tantum Gallia nacta Decus,
Gallica plaude manus, &c.
Mœror abesto procul, &c.
Tuta refrenato potes ocia ducere Marte
Dum tua tam claras preteget arva pugil.
Dum dabitur tanto Francum diadema Monarchæ,
Liligeros armis nemo lacesset agros.
Nil aper exerto bacchans tibi dente nocebit,
Nil leo, nil aquilæ, nil & Iberus atrox.
Rhinocerota domat, pardum necat ense rebellem;

Ense

Enſe necat pardum, rhinocerota domat,
Gallica plaude manus, &c.
Mœror abeſto procul, &c,
Voce, labris, animo cœleſtia numina flecte,
Duret ut æternos gloria tanta dies.

Epigrammata aliquot.

JOANNIS RAVISII *Textoris.*

De puritate Virginis, & Chriſti nativitate.

QUum Deus humanis voluit primordia rebus
Fingere, & incultum diſſociare chaos:
Principio cœlum ac terras campoſque creavit,
Illic aſtra locans, hic ſegetes ſtaruens.
Fraternis lunam voluit ſuccedere bigis:
Hæc noctem radiis proderet, ille diem,
Et nubes voluit circum volitare caducas,
Unde fluens teneram ſpargeret imber humum.
Æra dehinc ſtatuit per quem ſua flumina princeps
Carceris Æolii mitteret Hippotades.
Corporibus partem hanc levibus conceſſit, ibique
Pennigeras paſſim currere juſſit aves.
Denique ſquammigeris habitandum piſcibus æquor
Fecit, ubi vitreas currere juſſit aquas.
Hanc partem, licet huc fluvii fonteique recurrant,
Noluit innumeris creſcere fluminibus.
Utque prius dictum repetam, ſecrevit ab aſtris
Æra, cuncta ſuo ſunt elementa loco.
Terra ferax curvi nihil indiga vomeris, omnes
Ubertim peperit tunc inarata dapes.
Aurea permixtas non ſenſit meſſis arenas,

Tunc

Tunc vacuum tribulis germen habebat ager.
Creverunt violæ ſine ſemine, crevit acanthus,
Emiſit gemmas flos hyacinthe tuus.
Et vario guttas clepſydra foramine ſpargens
Non fuerat ſemen terra inarata dabat.
Hic dominus poſuit diverſæ animantiæ formæ
Rhinocerota, leas, tygres, apros, lepores,
Lanigeras pecudes, damas, tauroſque, caneſque,
Atque aſinos veteris nunc pecus Arcadiæ.
Et licet incurvis armaſſet dentibus aprum,
Ramoſis cervum cornibus, ungue leas:
His tamen extiterat ſtabilis concordia amorque,
Securumque lupo præbuit agna latus:
Cum canibus poterant imbelles ludere damæ,
Et vicina alacri ſtare columba aquilæ:
Tutus in effoſſis latitare lepuſculus antris,
Currere ſecurus per nova prata lepus.
Reſtabatque hominem ſenſus formare caparem,
Quem felix proprio germine terra aleret.
Ergo Deus modica compegit viſcera maſſa,
Atque Damaſceno membra creata luto.
Quem quoniam ſociale animal cognoverat eſſe,
Sopiti ex coſtâ protulit huic comitem.
Atque horro clemens inclufit utrúnque virenti,
Hic ubi perpetua murmurat amnis aqua.
Hic rigui fontes, hic aura benigna tepenſque
Spirat, & æternis terra viret violis.
Lilia non deſunt, non alba liguſtra, rubenſque
Caltha, nec Aſſyrii quicquid odoris habent.
Sunt etiam fructus, pyra, Perſica poma, nuceſque
Caſtaneæ, cerafis mixtaque pruna rubris,
Hic utrúnque Deus ſtatuit, mediiſque locavit
Deliciis, miræ qui locus ambroſiæ eſt.
Hic etiam omnigenis conceſſit fructibus uti:
Immenſæ fuerat quod probitatis opus.
Uno interdixit tantùm, tantum unius uſum

Abſtulit, at reliquas contulit ambroſias.
O dolor! irrepſit ſerpens & Gorgone pejor
Anguicoma, & colubris ſævior hydra tuis.
Quæ tam dulce bonum triſtans utrique parenti
Conceſſum, miſera tabuit invidia.
Ferbuit, Ætnæa veluti fornace recoctus,
Imperio fervet nunc Jovis Enceladus.
Impatiens igitur tanti furioſa doloris,
Induit humanam protinus effigiem.
His demum propere verbis utrumque parentem
Convenit, & tacitis fraudibus illaqueat:
O ſtulti! fructum vitæ guſtare timetis,
In quo ſtat rerum prævia cognitio?
Guſtate, & veſtri mandata repellite patris,
Quid mandat, tecta non ſine fraude jubet.
Vos arcana ſuæ deitatis noſſe paveſcit,
Participes lauſis vos timet eſſe ſuæ.
Carpite, guſtetis, nulla formidine pectus
Hæreat, ignavum pellite corde metum,
His dictis, bibito ſumpſit prior Eva veneno,
Atque avidis primum dentibus arripuit,
Cunctanti morſum mox obtulit illa marito,
Et rogat ut verito compleat ora cibo.
Fœminea & colubri deceptus fraude momordit:
Sic ſummi legem fregit uterque Dei.
Protinus immani dominus ſuccenſuit ira,
Juſſa dolens legis jam temerata ſuæ.
Vade age & armatus gladio, vade angele præceps
Ad paradiſiaci limina fauſta ſoli.
Hinc primos hominum ſubitò detrude parentes:
Sudoris pœna vivet uterque ſui.
Dura laborifero ducentur aratra marito,
Et ſterilem duro vomere ſcindet humum.
Terra feret tribulos, naſcetur carduus agris,
Creſcet cum lolio non niſi rara ſeges.
Stridorem in partu mulier duroſque labores

Sen-

Sentiet innumeris exululans lachrymis.
Et famulus lethi morbus torquebit utrumque,
Mixta siti esuriens crescet utrique fames:
Totaque posteritas primæ subjecta ruinæ,
Post mortem furvas corruet in tenebras.
Nullus erit salvus, nullus qui limina cœli
Scandat, & æthereæ regna beata domus.
O grave judicium! natos peccata parentum
Damnant, damnatur totaque posteritas.
O Adam tenero nequisses parcere pomo?
Eva gulæ & ventri parcere non poteras?
Tandem post multos soles, multosque Decembres,
Postque diuturnum tempus Olympiadum
Majestas veterem divina coërcuit iram,
Antiqui revocans numina judicii,
Verbigenam in terras voluit descendere natum,
Qui fieret pura in virgine verus homo.
Venit, fœmineaque humilis se clausit in alvo,
Humani sumens corporis effigiem.
Quæ fuit hæc virgo tam sacri conscia partus,
Et tam divino digna puerperio?
Virgo Palæstinis columen, laus, gloria gentis,
Virgo Palæstinæ candidior violis,
Virgo rosas superans, niveis mage candida cygnis,
Purior & conchis virgo Cytheriacis.
Cujus frons antestat ebur cervixque liguſtrum,
Puraque Erythræos lumina Sardonyches.
Et cujus flavis cedit rosa verna capillis,
Candidaque exiguis lilia brachiolis.
In quâ nulla fuit labecula nullaque sordes
Deformem impressit, nullaque ruga notam.
Innatum antiqua primaque ab origine crimen
Non habuit: toto cõrpore pura fuit.
At dices, primam, quæ postera secla ruinam
Sensere, & primum cuncta habuere scelus.
Stulte quid obgannis? qui cuncta elementa creavit,

Qui

Qui pinxit rutilis æthera ſyderibus:
Non eſt fas aliquid propriæ concedere matri,
Quod nullis unquam contulerit populis?
Credis in impura Chriſtum latuiſſe caverna,
Credis in immundo delituiſſe utero?
Dic mihi, rex Gallus fœdo dormire cubili
An velit, aut ſpurcas incoluiſſe domos?
An princeps olida vellet latitare cloaca?
Hic ubi ſtat graveolens quicquid Avernus habet?
Purpureis reges lectis auroque quieſcunt,
In fœdo Chriſtum vis latuiſſe utero?
Ergo Palæſtinæ ceſſes maledicere Nymphæ,
Crimina nam primi nulla parentis habet

De brevitate vitæ.

Eſt leve Phœbeo telum quod mittitur arcu,
Sunt volucres Parthi poſt ſua terga faces.
Eſt leve quod refugo deſcendit ab æthere fulmen,
Turbida cœligenas dum manet ora deos.
Eſt volucer Boreæ flatus, ſi quando relaxat
Æolii clauſtrum carceris Hippotades,
Naufragæ parites velox eſt turba procellæ,
Dum vaga Scyllæis carbaſa mergit aquis.
Sunt volucres etiam lepores, quos fortè per herbas
Auditi petulans terruit aura canis.
Imbelles volitant mira levitate columbæ,
Vitinum inſpiciant ſi Jovis armigerum,
Aëripedes miro decurrunt impete cervi,
Quos venatoris percutit haſta ferox.
Eſt agilis cœlo veniens ſaxatilis imber,
Miraque projectæ grandinis eſt levitas.
Et levis eſt multo vibratus robore corpus,
Stupea quem torto verbere funda jacit,
Sulphure fœcundi rapida eſt violentia ſaxi,
Quod cava terrifica machina fauce vomit.

Cre-

Creduntur celeres itidem volitare favillæ,
Fumiferis torrens quas jacit Ætna globis,
Fulmineo volitant Hyrcanæ turbine tigres
Armatus catulis quas spoliavit eques:
Et timidi levis est Rhodani ducursus in æquor,
Dum vaga terrificis flatibus aura sonat.
Et levebus squamis tuus, ô tibicen Arion,
Æquoreas fertur scindere piscis aquas.
Est levis Elæa certans mercede palæstra,
Quem pugil infesto verbere pungit equus.
Magna tuæ levitas erat Hippodomia quadrigæ,
Diceris insanos qua superasse Procos,
Semiferique fuit præceps violentia Nessi,
Dum misero rapta est Deianira viro.
Téque agilis portavit equus, validissime Perseu,
Expositam dum te vexit ad Andromedam,
Fama est te volucri Phaëthon cecidisse ruina,
Implicitus patriis dum rapereris equis.
Et tu præcipiti rapta es Proserpina curru,
Luderet ut Siculis nescia mater agris.
Si tamen observes fugitivi temporis annos,
Quamque vagis pereat vita caduca rotis,
Quamque citis hominum discedat passibus ætas,
Quàm volucri properet more inopina gradu:
Censebis tardas quas vibrat Apollo sagittas,
Segnipedem cervum quem petit hasta ferox,
Sic perennt anni, sic lubrica vita recedit,
Sic brevis aligeris passibus hora perit.
Quisquis es ergo tuæ studeas si forte salutis
Si sapis, in mortem sis vigil excubitor.

AD

Ad Maximilianum quondam Insubrium Ducem in ingressu Navarræ.

ARmipotens Cæsar, te tota Navarra salutat
Arcadiis brevior tota Navarra casis.
Dignus erat nitidi caperes quem regia Phœbi,
Factaque Cæsarea larga theatra manu.
Nec tamen exigui magalia neglige ruris
Nec modicæ numeros despice Calliopes:
Cernis ut occurrat juvenum tibi turba, superbo
Quòd tanti fruitur principis intuitu.
Tristaturque sibi spacium non majus haberi,
Quo titulis possit luxuriare tuis.
Hæc quum non habeat gemmas quas offerat, offert
Interni quicquid scrinia cordis habent,
Ocia dum nostris aderunt majora Camœnis,
Indicium nostri majus amoris erit.

De passione Christi.

Hunc ego cervicem proprii fregisse parentis
Dixero, & Arcadicæ concubuisse lupæ:
Aut rabiem Libycis eripuisse feris,
Aut quondam in patrio cineres minxisse fatebor
Marmaricæ pastum jurabo lacte leænæ,
Aut scopulis genitum dixero Caucasiis:
Jurabo & miserum spurcas habitasse latrinas,
Vixisse & fœdis non nisi stercoribus:
Marcida vel turpi rapuisse cadavera corvo,
Extaque jejunis putrida vulturibus:
Tartareis dicam flammis arsisse Megæræ,
Gutture tergimini more latrasse canis:
Vincere tartareos credam feritate leones,

Vincere

Vincere & horrendas impietate lupas:
Mixtum Phasiacis potasse aut pharmacum herbis,
Et quæcunque parit toxica mœstus ager:
Quicquid habent Psylli, quicquid vel Pontica tellus
Quicquid in os fluxit Socratis intrepidi,
Huic furias corpus lavisse palustribus undis
Credidero, & Stygio ter maculasse luto;
Ursorum aut inter catulos mansisse fatebor,
Aut in Lerneis delituisse vadis:
Aut etiam in mediis serpentem ferre medullis,
Et colubros imis pascere visceribus:
Ferre triplex chalybis jurabo in pectore robur,
Et circa rigidum crescere saxa jecur:
Vinclaque torcilibus portare adamantina fibris,
Ferre truces oculos, ferre Perilli animos:
Ferre canis Stygii tria guttura, ferre Meronis
Sævitiam, & crudæ viscera Persephones:
Qui modò qui visa morientis imagine Christi,
Et mutilo visis corpore vulneribus:
Immotus siccis lachrymas cohiberet ocellis,
Nec rigidam exueret pectore duriciem:
Qui sacrum inspiceret venis exire cruorem,
Saucia clavorum brachia cuspidibus:
Et solito posset pariter non parcere ludo,
Aut finem primis imposuisse jocis.
Qui transis, geminos huc flecte parumper ocellos,
Ad crucem subitum siste viator iter.
Hic Deus est, cujus pietas elementa creavit,
Mortales proprio qui regit arbitrio.
Præbuit hic udis habitandum piscibus æquor,
Et refluis pontum currere jussit aquis.
Et volucres nitidum volitare per æra jussit,
Jussit & in sylvis delituisse feras.
Fœcundam æstivis terram grave fecit aristis,
Pomaque crispicomis fecit in arboribus,
Irriguos vernis depinxit floribus hortos,

Præ-

Prataque odoriferis humida graminibus,
Fecit ut Assyrium pareret rosa dulcis odorem,
Tangeret atque ipsas spina propinqua rosas,
Turgida vinifluis penderet & uva racemis,
Et quæcunque suas terra crearet opes,
Piscibus injecit squamas armavit & ursum
Unguibus, & dentes præbuit arma lupis,
Utque aliis pariter sese defenderet armis,
Vivaci cervo cornua longa dedit.
Néve canum imbelles paterentur vulnera damæ
Pegaseo leviùs currere jussit equo.
Denique ne longis onerem clamoribus aures,
Humanus propriam contulit effigiem.
Jussit & hunc aliis unum superesse creatis,
Depressaque leas hunc timuisse juba.
Infunditque animum regeret qui fictile corpus,
Auspice quo sensus viveret interior.
Libera quin etiam est animis infusa voluntas,
Ut proprio liber vivetet arbitrio.
Sed postquam vetita decerpsit ab arbore pomum,
Tartareas moriens corruit in tenebras.
Totaque posteritas primæ subjecta ruinæ,
Præda fuit nigris languida dæmonibus.
Nec sanctis licuit pœnam vitare prophetis,
Verbigenæ adventum qui cecinere Dei.
Unus erat carcer miseris, locus unus & aula
Extiterat cunctis unica spiritibus.
Hæc domus æternis horrebat opaca tenebris,
Nullaque divinæ visio lucis erat.
Supremique boni privatio longa dolorem
Auxerat, æternas agglomerans lachrymas.
Et captivorum gemitu chaos omne tremebat,
Dixisset rapidi fulminis esse sonum.
Flebilis ardandem cœlos querimonia movit,
Et summi pepulit tecta suprema Dei.
Hic igitur tactus lachrymas, fletuque gementum,

Spi-

Spiritibus miſeris contulit obſequium.
Verbigenam in terras ſi quidem deſcendere juſſit,
Inque Paleſtinæ virginis ire uterum.
Et fragilem noſtræ formam ſibi ſumere carnis,
Sumere & humani corporis effigiem.
Paruit æterno proles divina parenti,
Verus in intacta Virgine factus homo eſt.
Huc oculos, huc huc oculos convertere viator,
Marmoreamque animis exue duritiem.
Aſpice divini clementia quanta Tonantis,
Quanta ſit & nati gratia verbigenæ:
Hic mortis dominus morti ſe ſubdit acerbæ,
O miræ ſpeculum mortis, & effigies!
Quique pati nihilum poterat, vult terræ dolores,
Vult perferre famem, vult tolerare ſitim,
Qui ſimul ac puræ genitricis clauſtra reliquit,
Maternóque infans prodiit ex utero,
Non aulas petiit, non plumas Sardanapali,
Caſtraque magnificis edita marmoribus:
Non lautas epulas, auleaque maxima regum,
Sidonia Pallas quæ fabricavit acu.
Poſthabuit ſtabulis aulas, magalia caſtris
Prætulit, ingrediens pauperis antra caſæ.
Poſt habuit thermas afflatu ſegnis aſelli,
Et fœnum molli prætulit inde thoro.
Non renuit (ſpeculum ſummis hoc regibus eſto)
Molle ſuper ſilices impoſuiſſe caput.
Nec ſat erat primis cuncta hæc toleraſſe diebus,
Et medios inter delituiſſe greges:
In cruce ſacrilegi tandem niſi more latronis
Traderet indignæ ſaucia membra neci.
Erige peccator faciem mentemque ſupinas
Tolle manus, tanti ſis memor obſequii.

Ad Graviſsimum patrem dominum N. Bouſſard Cancellarium Pariſienſem.

Claudere qui modica Rhodanum tentaverit urna,
Aut numerum cunctis ponere ſyderibus:
Qui volet exili pelagus concludere teſta,
Dicere quot piſces parturit Oceanus:
Æſtivis quot apes modicas parit Hybla diebus,
Quotque geris ſuaves dulcis Hymetta favos:
Ponere littoreæ numerum conetur arenæ,
Dicere quot foliis ſylva ſuperba viret:
Quotque Ceres campis flavas emittat ariſtas,
Quot violas verno tempore terra parit:
Anticyras nunquid dignus ſorbere meracas
Eſſet, & immodici hic indigus hellebori?
Dignus & à fœdis ſquillas auferre ſepulchris,
Aut Superis porcum cædere numinibus,
Virtutum pariter numerum tituloſque tuarum
Qui modicis ſatiget claudere carminibus
Sit licet & Muſis & Phœbo digna locutus,
Et gerat egregia laurea ſerta coma:
Nunquid mentis inops fuerit, rationis & expers,
Aut auſu pluſquam præditus Icario?
Ergo mihi ſat erit dignum te dicere ſummos
Feliceſque inter vivere ſemideos.
Plura quid eloquerer, quum vaſtis cognita terris
Laus tua percurrat ſolis utramque domum?
Nota ſatis, nulla fas eſt operire camœna:
Hoc igitur ſat erit commemoraſſe Vale.

Ad Virginem Oratio.

O Chriſti genitrix ſemen non paſſa virile,
Quæ patiens pura virginitate vires:

De-

Devius ecce tuus clamo peregrinus ad aures.
Et te curvato flebilis ore genu.
Ex oculis factum lachrymantibus aſpice fontem.
Pronaque clamantis reſpice verba rei.
Supplicium merui, nec me peccaſſe negabo.
Æterni dignum carceris exilio.
Ni mihi contulerit ſubitum tua dextra juvamen,
Aut adjutrici ſuppetiere manu:
Forſitan inſtantis patiar nocumenta pericli,
Et quo non ſpero tempore raptus ero.
Fortè mei advenit vicinus terminus ævi,
Corporeaſque ferit mors inopina fores.
Ergo Dei genitrix, enixa puerpera natum,
Qui propria amiſſas morte redemit oves:
Aſpice me in miſera lachrymarum valle gemen-
Inſtantiq; animum ſubtrahe naufragio. (tem,
Atque redemptoris Chriſti mihi paſſio profit,
Lancea, crux, plagæ, ſpongia, ſpina, cruor,
Profit & horrendis qui fixus in arbore clavis,
Obtulerit crudis brachia vulneribus.
Profit & arreptos inter periiſſe latrones,
Cui nullum in puro corpore crimen erat.
Imprime vim tantam mihi virgo pudica doloris,
Sitque tui mihi mens conſcia cordolii.
Fac me parva lavet precioſi gutta cruoris,
Et mihi tam ſacro ſanguine cor madeat.
Hinc brevis exanimum dum clauſerit urna cada-
In cœlis profugæ ſit requies animæ. (ver,
Sit requies animæ, quam torvo quærit hiatu
Carceris inferni bellua, Virgo vale.

Epitaphium primi Præſidis Pariſienſis defuncti.

Quis modò non credat rigidæ penetrabile morti,
Vaſta ſuo quicquid terra parit gremio?

Cæcutítne aliquis tanta caliginis umbra,
Sanificas mitti dignus ad Anticyras.
Ut putet esse aliquid rigidas quod flectere Parcas,
Possit, & infernæ vulnera Persephones?
Est aliquis qui se precioſæ munere formæ,
Aut immensarum pondere fretus opum,
Speret inhumanas fati vitare ruinas,
Atque cruoribibæ flebile mortis iter?
Est ne aliquis tumidum faciat quem bellica virtus,
Centimani præstans robur & Enceladi?
An quisquam regno titulisque superbit avitis,
Egregiis ducens nobile stemma atavis?
Hos magis extremæ deceat meminisse diei,
Inspicere & cursu quam fluat hora brevi.
Quòd videt immensos orbis periisse monarchas,
Corporis & nullas vivere relliquias.
Et finem pauci faciant, ubi Cæsar, & ille
Imperio cujus non satis orbis erat?
In cineres abiere suos, pastumque dederunt
Vermibus: orbis opes nunc nihil esse docens.
Et qui tortilibus reges traxere catenis,
Arbitrio mortis suppoſuere caput.
Sed si sensus, opes, regnum; metuenda potestas
Fatipetas nequeant eripuisse homines:
Quid mirum? propriis virtus non servit amicis.
Quod minus ad duræ vulnera mortis eant,
Quod ne delirum credas fortasse viator,
Accede, & videas quem tegit iste lapis.
Huic fuerat quicquid Jove dignos, & Jovis aula
Mortales posset reddere semideos.
Justo dulcis, atrox scelerato, largus egenis,
Doctrina eximius, consilio sapiens.
Judicio tardus, præstans gravitate, severus
Censura, & toto corpore mundus erat.
Hic meritis fortuna dedit sua præmia, quamvis
Parca bonis extet, prodiga sæpe malis,

Consul

Consul Burdegalæ primùm fuit, inde secundus
Præses, successit maximus inde locus.
Et quo lucidiùs populo fugit agnita virtus,
Altiùs hoc crevit gloria, crevit honos,
Factus enim tuus est, populosa Lutetia primus
Præses, ubi cursum fata dedere suum.
Nec tamen hæ dotes potuere resistere fatis,
Nec generis pariter splendida nobilitas.
Sed scio quid visum est Superis: quia gloria mundi
Usque adeò claris non sat erat meritis:
Tradere cœlestis voluerunt gaudia palmæ,
Participemque suis vivere deliciis.
Si fortasse petas nomen, morituræ viator,
Mandorus jacet hic mortuus, hoc satis est.
Decessit Blesis, canos non vectus ad annos,
Nec primas senii vidit olympiades.
Profluvio fertur ventris periisse, cadaver
Terra tenet, Superi corripuere animam.

FINIS.

Carmen Bellici conflictus narrativum.

MArtius in terras jam prosilit horror, & atrox
Armorum rabies mediis bacchatur in agris,
Prodigaque humani jam sanguinis ardet Enyo,
Effusum patula deglubens fauce cruorem
Sparsa comas, fervens oculis, armata venenis,
Ore ferox, nullo satiata cadavere, nullis
Corporibus, sed quò majorem crescere stragem
Cernit, eò duris ferventior extat in armis.
Arcadico par ipsa lupo, cui fortè latrantem
Si premat esuries stomachum, dentesque rapaces
Affligat triduana fames, ingressus ovile
Non uno ventris rabiem satiaverit agno,

Quin semper crescente siti non ante quiescit,
Vindicta gnaras pecudes quàm torvus ad unam
Fuderit, atq; sitim supremæ in sanguine claudat.
Præterea nigris sontem redimita colubris
Extulit, Alecto, majoris semina flammæ
Faucibus eructans: oleumque datura camino,
Hæc utrasque acies animat, promittit utrique
Vincentes lauros, & docti rhetoris instar
Persuadet, quicquid fieri cautissima suasit,
In mortem currunt equites, peditesque decorum
Persuasi in media vitam profundere pugna,
Vulneribus factis inhiant, in utramque parati
Fortunam, seu fortè mori, seu vivere detur.
Efficit immensas nubes saxatilis imber
Tullorum, tenebrisque diem permixtus opacat
Insolitis, timidum faciens pallascere Phœbum,
Atque iterum versa cursum mutare quadriga,
Dira Thyestæ velut olim fercula mensæ,
Horrentem ad primum, fama est, rediisse cubile.
Vix bene quæ triplex viderunt Nestoris ævum
Sufficiunt jaculis quercus, ulmique parandis.
Non veneris myrtos, non quas turrita Cybelle
Conservat pinus, non quas Tyrinthius heros
Dilexit, Superum contemptrix ora deorum
Intactas patitur, quin spretis omnia truncat
Numinibus sacrosque tibi, Bacche optime, lucos,
Rumpuntur clypei, galeas horrere videres
Pannicomas, raucoque tubas incendia cantu
Spargere, & effusis superare tonitrua bombis.
Ferrea lunatus tot spicula projicit arcus.
Ut nunc ruricolis requies sit nulla ministris
Mulciberi non Lemniacis corpore caminis
Detur, & impletis vento requiescere flabris:
Sed nudum liceat sudare Pyracmona membris.
Rustica præfixis (miserum) spoliantur aratra
Vomeribus: nec habet falcē gemebundus arator.

Prædi-

Prædia qua flavis ſpoliet jejunus ariſtis,
Aut qua frigidulus diſcindat ligna ſecurim.
Omnia deglubit violenti Martis abyſſus.
Hic perit inter aquas, alius conſumitur igni,
Huic jaculum fibras penetrat: cadit ille, cadentem
Nemo juvat, mediis ſic interit obrutus armis.
Illos morſus equi quoſdam necat ungula, multos
Armorum rimas quærens interficit enſis.
Hic uno geminis alius privatur ocellis:
Illis dextra manus pleriſque ſiniſtra, quibuſdam
Utraque nonnullis inhoneſto vulnere nares
Truncantur: quoſdam contortæ in crura ſagittæ
Flexipedes reddunt: huic altera ſcinditur auris:
Quatuor hic digitos, tres hic, unum ille reportat:
Trajectoque alius ſua conſpicit ilia ventre
Et ſi ſola hominum patiantur corpora vulnus,
Inventum bombarda novum radicitùs urbes
Diruit, ereptis veniam dare neſcia templis,
Neſciaque auratis divorum ignoſcere ſpectris.
Hæc ſi nubivago maculaverit ærea fumo,
Nec tibi Sol clarus, nec erit lucida Phœbe.
Non oculis ſeptem poteris ſpectare triones,
Tu tibi tartareas jurabis adeſſe tenebras.

Carmen de Pace.

Agricolæ pigris infundite ſemina campis,
Ut ſpicata duplex fœnus ariſta gerat.
Reptile cornigeris invertite bobus aratrum.
Torpentes itidem vomer hiulcet agros.
Et quum protulerint flavi ſua gramina culmi,
Jugera productis tunc ſpoliate comis.
Nec vos mortiferi turbent incendia belli,
Omnia peſtiferæ ſemina litis eunt.
Infernas te, Perſephone comitatus ad umbras
Mors, habitat Stygii carceris exilium.
Præteritis Bellona jacet viduata triumphis,

Et veteris sceptrum perdidit imperii.
Pax hominum votis quoties quæsita refurgit,
Et capit auricomi Solis utramque domum.
Nec modicæ patitur scintillam vivere litis,
Quin terras omnes imperiosa tenet,
Dicite jo juvenes, redeunt Saturnia regna,
Venit & antiquæ relligionis honos.
Ecce hilares suavis tendit concordia pennas,
Vernaque Cecropiæ crescit oliva deæ.
Claudite Rhomulidæ Jani modò templa bifrontis,
In media captus langueat æde furor.
Innumerisque etiam victus post terga catenis
Sanguineo rabie percitus ore fremat,
Tu modò Lemniacis requiem concede ministris,
Ferrea cœligenæ qui facis arma Jovi.
Nil opus est missa Parthi post terga sagitta,
Tela nec inflexis arcubus acta juvant.
Penthesilæam nec opus vectare securim,
Quæ levis Harpalice Thermodoonta secat.
Saxea nil prosunt Balearis verbera fundæ,
Nec quæ fulminiger projicit arma tonans.
Nil opus objectis corpus defendere peltis,
Compressam galea nil oneravisse comam.
Nil juvat aëriis componere turribus ignes,
Aut tacitas summis turribus excubias.
Nec tereti fas est portas occludere ferro:
Proditor à tutis urbibus hostis abest.
Dicite jo juvenes: lætum Pæana canamus:
Mascula cœlitibus ponite thura Deis.
Innocuæ siquidem venerunt tempora pacis,
Mortua sopitæ semina litis eunt.
Per vicos celebres, per compita spargite flammas,
Suavidicis nubes tangite carminibus.
Depositoque metu, ferratas pandite portas:
Exulet à veteri Marspiter imperio
Neptuni bellator equus concessit olivæ:

Pal-

Palladis arma tacent, pax diadema capit.
Pax capit imperium : Mavors discessit ad umbras
Discessit Mavors, pax capit imperium.

Viri celebris defuncti Epitaphium.

O quas fata sinunt fungi vitalibus auris !
Mortales cohibete gradum, spectate parumper,
Quid nostri gemitus, lachrymæ, suspiria, planctus
Verbaque mœsta velint, ut nostra pericula cautos
Vos faciant, quibus est majoris copia vitæ.
Divitias natis miseri cumulate parentes,
Pervigiles nummis incumbite, parcite somno,
Et ventis & aquis dubiam committite vitam.
Vos quoque Pontifices cumulate nepotibus aurum,
Dum tamen occurret vestræ brevis ultima vitæ
Linea, dum vestros Lachesis finiverit annos,
Nullus erit, nullus tota de plebe nepotum,
Qui vestri memorem se præbeat inde sepulchri,
Ne dum animæ: vel qui miserum sepelire cadaver,
Effossæque jacens corpus supponere terræ
Tunc velit. O iterum cumulate nepotibus aurum
Pontifices, & opes natis cumulate parentes.
Ecce ego quem capulo claudit brevis urna supino,
Gallorum qui primus eram, charissimus ipsis
Principibus, regi Lodoico semper adhærens,
Divitiis plenus multis stipatus amicis,
Dum vixi innumeris studui ditare nepotem
Divitiis, sperans nostræ post tempora vitæ
Hunc fore, qui sacris libamina funderet aris,
Et pro me precibus Superos, ipsumque tonantem
Placaret, tumulique jacens sepeliret honore
Corpus, & extrueret nobis sublime sacellum.
Hanc tamen ut corvi crocitantes more recepit
Prædam expectatam, satis est, nil curat agendum.
Nunc opibus nostro quondum sudore paratis
Nutrit equos, magno celebrat convivia sumptu,

Turgidus incedit, contracta fronte superbit:
Stipatus famulis graditur: bellisque videtur
Aptior, ac pariter Geticis mage idoneus armis,
Quàm qui verbigenæ CHRISTI conducat ovile.
Nec patrui corpus dignatur honore sepulchri.
O ingrate nepos, quò nostri cura recessit?
Quò promissa fides? Stygiæ ne oblivia Lethes
Potasti? an gravidum sumpsisti fauce papaver?
Siccine, quod multis peperi sudoribus aurum,
Dilapidas? sic nam nostri tibi cura recessit?
Tu peregrine meo mihi mitior esto nepote,
Posce Deum precibus modicis, & poplite curvo,
Dat mihi cum Sanctis requiem per secula cuncta.

Aliud.

Disce superba tui fastigia ponere vultus,
Et tetrici rugis parce supercilii,
Quisquis ad immensos vivis provectus honores,
Cui fortuna suo cuncta dat arbitrio.
Nec tibi majoris speres fore tempora vitæ,
Dilatum vulnus proferat una dies,
Nec semper Zephyris duces tua vela secundis,
Instant pestiferi tempora naufragii.
Mors quoque missilibus semper redimita sagittis,
Incustoditas excubat ante fores.
Vulnera si patris speras evadere nummis,
Atque tuis Parcas flectere divitiis:
Falleris, & lolio vivis: mihi copia rerum,
Argenti atque auri maximus agger erat,
Nulla tamen potuit mortem lenire facultas,
Nullaque nummorum copia, nullus amor.
Quòd tibi si reges fueris causatus amicos,
Aut gratum summis te fore principibus:
Quid tum, si (verbo Senecæ) mors omnibus æqua est,
Nec mage mendicis aspera quam ducibus?
Plus reliquis me rex quondam Lodoicus amabat,

Mors

Mors tamen insidiis cepit utrumque suis.
Quisquis ad immensos igitur conscendis honores,
Cui fortuna suo cuncta dat arbitrio,
Disce superba tui fastigia ponere vultus.
Et tetrici rugis parce supercilii.
Fac bene dum subitæ peragis modò tempora vitæ:
Fac bene dum rapidis passibus hora perit:
Néve salutem animæ satagas committere natis:
Ne nimias vivens accumularis opes.
Est mihi namque nepos, qui partis sanguine nostro
Divitiis opulens ducitur illecebris.
Non nostræ non solùm animæ memor esse videtur,
Quin etiam modici nec memor est tumuli.
Nec tenui corpus recubans operire sepulchro
Dignatur: nostræ nec memor est animæ.
Et ne te lateat nomen fortasse gementis,
Miles ego quondam Gallicus hic jaceo.
Funde preces pro me Superis, peregrine viator,
Præmodico claudit quem brevis urna loco.
Hic quem tu modico clausum specularis in antro,
Fecit templa sacris plurima cœlitibus,
Erexit castrum visu spectabile, templis
Munera longa dedit, multaque pauperibus,
Hoc duce Rothomagi cives habuere senatum,
Et crevere suis lilia confiliis.
Quanta amplo tulerit Gallorum commoda regno
Ipsius edocuit flebilis interitus.
Hoc si quidem extincto sunt territa lilia bellis,
Adversumque habuit Gallia Pontificem,
Qui tamen ornavit tantis altaria donis,
Rothomagum tanta qui cumulavit ope,
Nunc modica & vili clausus requiescit in urna,
Angustoque jacens clauditur hoc tumulo.
Hæc est de patruo vani modò cura nepotis,
Immemor accepti qui manet obsequii.
Discite mortales moniti, ditare nepotes,

Quid

Quid juvet, & multis tollere divitiis.
Hic moriens proprio donarat ovile nepoti,
Nec tamen est nostri corporis iste memor.

De contemnenda voluptate Elegia.

O quem mortifera titillat peste voluptas,
Et Sirenæis pellicit illecebris:
Sæva Dionæus cui præparat arma Cupido,
Et nocitura levis mella propinat amor.
Si sapis; insomni maneas vigilantior Argo,
Assiduis persta cautus in excubiis,
Nam Cytherea novas artes, nova pectore versat,
Consilia, & tacitas præparat insidias,
Allicit interdum lascivis pectora verbis,
Qualia Sirenum gutture missa putes:
Aut te si nequeat venali flectere lingua
Altera perplexis fraudibus arma parat.
Hæc tamen Argolici fallax stratagema Sinonis,
Et tibi quicquid erat Dædale pennipotens,
Sæpe puellari cupiens te fallere forma.
Hybleis unguet putrida membra favis.
Ornabitque cutem suco, tumidasque mamillas
Deteget, & nudos proferet illa humeros.
Vermigerum faciet benè olere cadaver amomo,
Corpus Idumæis imbuet illa rosis.
Et quos arte reget parvos sibi finget ocellos:
Plenaque vulpinæ simplicitatis erit.
Non nisi molliculis mittet sua verba labellis:
Purpureis risum deteget illa genis.
Purgatos faciet lentisco fulgere dentes,
Maxillæ innatum forte putabis ebur.
Sæpe Cytheriaco disponet pectine crines,
Ut croceam videas undique cæsariem.
Aurifici cura lunatos proferet ungues,
Turgidulo tumultum finget & in stomacho.
Quem super imponet clarissima tortilis auri

Vin-

Vincula cœlitibus vel placitura Deis.
Nevé tuo cultu careas avidiſſime venter,
Defluet ad teneros pendula zona pedes,
Eſt etiam cultus cariosis clunibus idem,
Quo caro tota ſuis diffluat illecebris.
Hic tumidus multas pannus tibi proferet ulnas,
Vix triplex nexus conficit ulna duos.
Sic benè depoſitum tota nitet in cute corpus,
Sic ſunt purpureis illita membra roſis.
Si tamen occultas partes ſpectare liceret,
Colchica proſpiceres toxica viſceribus.
Illa conſpiceres tetram exhalare Mephitim,
In Stygio qualem credimus eſſe lacu,
Illic reptitios producunt ilia vermes,
Quos alit immundi corporis atra caro.
Vis paucis dicam quid olet dea mater amorum?
Excrementitium nil niſi ſtercus olet.
Si blandis igitur ſatagat te fallere verbis,
Aut tibi fallaces præparet inſidias:
Auribus occluſis aſtutum imiteris Ulyſſem
Circæis ne tu decipiare dolis.

De Natali Dominico Carmen.

Cur vagus angelicis reſonat modò cantibus aër,
Infernum querulo dum gemit ore chaos?
Aëris & terræ princeps de virginis alvi
Naſcitur, & Stygiis tollit ovile lupis.
Et quia pallentes nox expulit atra tenebras,
Nocturno radianstempore rex oritur.

Ad verſipellem.

Quod loqueris, non id ſentis: tua mellea vox eſt,
Sed ſunt vulpinis dicta referta malis.

Ad invidum.

Ducere difficile eſt teneros ad aratra juvencos,

Et

Et premere insolito libera colla jugo :
Libera lingua etiam frenos non passa pudentes.
Non valet insuetis verba tenere modis.

De amicis acquirendis.

Diligier quicunque cupis, des plurima, pauca
Accipe : sic poteris plures acquirere amicos.

Aliud.

Quisquis amicitiam quæris superantia census
Dona Midæ tribuas, hic solidatur amor.

Ad amicum.

Salve doctiloquos inter dignissime vates,
Inclyta qui dulci concinis acta sono :
Vincis Gorgoneos qui scuto Palladis angues,
Cui suavis linguæ gloria celsa manet :
Carmina suscipias parvis resonantia plectris,
Qui viridi lauro tempora cincta geris.

Ad quendam formosum appetentem sacerdotium.

Regales meritò poterunt lugere puellæ,
Si sacrum norint te fore presbyterum.
Nulla quidem in terris pulcherrima virgo quiescit,
Quæ tua non fieri sponsa benigna velit.

Ad quendam fidissimum Orestem.

O mihi visceribus propriis & lumine vitæ
Charior, ô cordis gloria tota mei !
Quem mihi Lemniacis à longo tempore vinclis
Conjunxit charæ pignus amicitiæ :
Me me perpetuos faustum jactabo per annos,
Semper & in nostro gaudia corde frement,
Quòd mihi contigerit talem reperisse sodalem,
Pro quo desereret Thesea Pirithous.

Pro

Pro quo Phocæum juvenem Pelopæus Oreſtes,
Patroclumque ferox linqueret Æacides.
Tu mea dulcedo, mea ſpes, mea vita, meum cor,
Solamenque meum, gaudiolumque meum.
Si doleas, doleo: ſi rides, rideo: gaudes,
Gaudeo: ſi moreris, teque repente ſequor.
Niſus ut Euryalum cæſum cognovit, in hoſtes
Irruit, ad Stygias & comes ivit aquas:
Nec tamen ante truci voluit procumbere fato;
Aſpera quàm ſocii mors foret ulta ſui.
Sic ego, ſi rutilo quiſquam tua viſcera ferro
Impetat, ut noſter diſſocietur amor:
Protinus inviſam nitar mihi tollere lucem,
Corde vel inſano ſubtrahet ipſe dolor:
At priùs infeſtum gladio mactabimus hoſtem,
Si Deus exiguis viribus addat opem.

Ad invidum.

Zoile, cur aliquo rides me vulnere læſum?
Alterius ſemper, Zoile, vulnus amas.
Cur ploras, ſi ſum votorum, Zoile, compos?
Semper in alterius commoditate doles.
Dum fleo, tu rides; dum rideo, Zoile, tu fles:
Invidia in riſu non finit eſſe duos.

Ad eundem.

Zoile, miraris ſi te appellavero monſtrum?
Si quæris cauſam, Zoile, cauſa patet.
Nullum animal novi quod lingua mordeat uſquam,
Hoc tamen eſt in te quod tibi nomen erit?
Primùm Marmarici norunt rugire leones:
More canum latras, non eris ergo leo.
Si canis es, tua proprietas eſt dentibus uti:
Tu lingua mordes, non eris ergo canis.
Tu non es cervus; quia cornu non petis ullum:
Ergo te monſtrum dicere jure queo.

Si

Si fueris leo, sive canis, cervus quoque vivax:
Si leo sis, bruti more leonis eas.
Si canis es, fias furiosi præda leonis:
Si cervus, fias altera præda canis.

Frustra est deplorare mortuos.

Littus aras, piscaris in aëre, perfodis Isthmum,
Qui gemis extincti tristia fata viri.

Ad petendos agros.

Postquam jam volucres multum cecinere, Camœnæ
Et longas Ismaria verba dedere chely:
In vernis gaudent fessæ requiescere campis,
Sæpe tulit fessis gaudia lætus ager:
Ergo animis juvenum fessis permittite campos,
Ut studiis aptos reddat amica quies.

Ad avunculum.

Hoc tibi jejunum tradatur avuncule carmen,
Quod meus inculta protulit arte stylus.
Non mea Phœbeam sectatur musa poësim,
Nec fero Palladia congrua verba chely,
Attamen insipido missos è gutture cantus,
Non indignata fronte videre velis.
Concedi tibi millenas exopto salutes,
Ut tua sit lætos vita habitura dies.
Me non ignores sanum, sum corpore sano.
Nostra tamen nummis orba crumena dolet.
Membris parta salus, superest adhibenda crumenæ:
Hanc si tu sanes, undique sanus ero.
Dum gravis est morbus, magnum medicamen habendum est,
Nodosam podagram pharmaca pauca abigunt.
Et quum difficiles descendit in ossa catharrus
Exili morbus non eget auxilio.
Sic longos dudum perpessa crumena dolores,

Ut

Ut ſit ſana, ingens ſupplicat auxilium
Nec bene perpaucis ſanabitur anxia nummis,
Auro ſanari tutiùs illa poteſt.

Ad eundem.

Zoïlus accedat, vacuas baubatibus auras
Zoïlei quatiant ore fremente canes.
Utque adamantæi ſolvatur nodus amoris,
In noſtrum jaciant atra venena caput.
Atra venena ſpuant Furiarum exerta colubris,
Detque Theoninos lingua proterva ſonos.
Spernito mendaces, aures claudantur, & illos
Effuge, perpetuo tempore vivet amor,
Quicquid lingua loquax aut vanus blattero dicet,
Floreſcet ſtabilis pignus amicitiæ.
Afferat Ætneis fabricata incudibus arma,
Afferat aut Parii marmora dura ſoli:
Quicquid Caucaſeæ rupes, aut alta Cariſtos,
Quicquid habent ſummo Caſpia ſaxa jugo:
Iſtibus horriſonis contundat ſydera: nunquam
Perpetuæ vinclum franget amicitiæ.

Ad eundem.

Non ea Patrocli cauſſa feciſſet Achilles,
Quod pro te facerem frater, amore tui.
Tranſverſa poteris ſubitò cognoſcere Roma,
Quod mihi te, & tibi me copulat unus amor.

Epitaphium.

Riſi, plōro: fui, non ſum: ſtudui, requieſco:
Luſi, non ludo: cecini, nunc muteo: pavi
Corpus, alo vermes: vigilavi, dormio: dixi
Salve, dico vale: rapui, rapior: ſuperavi,
Vincor: certavi, pace utor, jure ego vixi;
Jure igitur morior: non obſto, obſtare nequirem.

Terra

Terra fui quandam, rursus sum terra, nihil sum.
Terra caduca vale, vermes, salvete, recumbo.

Gratiarum actio.

Rex tibi summe pias devoto pectore grates
Pro sumptis epulis nos tibi Christe damus.
Est tibi casta parens, nostræ via prima salutis,
Quæ te tam sacris nutriit uberibus,
O virgo & genetrix. O nati, filia nobis
Auxilium miseris stella marina veni.
Stella marina veni, magnũ regè vela per æquor,
Ne fragiles rapiant horrida monstra rates.
Horrida monstra serò nos quærunt undiq; morsus:
Sed famulos serves numine diva tuo:
Numine diva tuo, mortis quum venerit hora,
Duc nos ad Superi regna beata Poli.
Gloria magna patri, pax vivis detur amœna,
Defunctis requies, assiduumque jubar.

Ad amicum.

Cur amo quicquid amas? & quod non vis, ego nolo?
Unum cor nobis præbuit unus amor.
Unde fit ut rides, si rideo? dum fleo, tu fles?
Nos unit votis intemerata fides.
Unum cor sociis, amor unus, & una voluntas,
Æternum fœdus præbet amicitiæ.

Ad eundem.

Quando petit turtur sylvas & lustra ferarum,
Et flet cùm sponsum nescit habere suum:
Languida præ nimio moriuntur membra dolore,
Et vehemens cruciat pectora mœsta dolor.
Sic ego Caucaseas rupes, scopulosaque trano
Saxa, petens te, me evius adurit amor.
Quem quum non habeo, sævus furor ilia torquet,
Sordescit vitæ mobilis hora meæ.

Ad

Ad eundem.

Sint licet hæc noſtræ viliſſima fercula menſæ,
Iſtaque ſit tenui menſa parata cibo:
Vos tamen, immenſas rerum cognoſcere vires
Queis datur, & modica quicquid in arte latet:
Hoc præſens epulum jucundo ſumite vultu.
Antiquæ memores ſemper amicitiæ. (ſtrum
Hæc eſt veſtra domus, veſtra hic ſunt omnia ve-
Gymnaſium, veſtri ſunt quoque diſcipuli:
Nunc quòd veſtra gravis gravitas hanc viſerit au-
Non aulam, at modicæ ruſtica tecta caſæ: (lam
Immenſas agimus grates ſint omnia vobis
Proſpera: poſt mortem ſit ſine fine quies.

Ad amicum, & ad invidum.

Invidus omnis eat, diſcedas Zoile mordax,
Zoile diſcedas, invidus omnis eat.
Invidus omnis eat, mendaces neglige linguas,
Neglige mendaces, invidus omnis eat.
Te (quicquid dicant inimici) ſemper amabo,
Semper amicus eris, quicquid amaſſe juvet.

Ad amicum.

Non ea Piritheo Theſeus feciſſet amore
Quæ faceret Pylades, ſuavis Oreſte, tuus.
Non ego fortunæ cæcos horrebo tumultus,
Si mecum es, Stygios nec trepidabo greges,
Non metuam Parthi ſtridentia tela fugacis,
Myſſa nec Odryſia ſpicula dira manu.
Thermodoontiacas audax penetrabo phalanges,
Inferni aggrediar guttura trina canis.
Maſſagetem penetrabo fures, qui ſanguine mixto,
Lactea principitis pocula ſumit equi.
Cyaneos intrabo ſinus, & culmen Olympi,
Ripheaſque nives, Sithoniaſque petam.

Tu

Tu mihi cuncta jube, Pindum transceende nivalem,
Frigus Hyperboreum, Sarmaticumque gelu,
Aggredere immota Getulos fronte leones,
Sæve vel Hyrcanæ tigridis antra subi,
Et quicquid potero, quod charus amabit Oreſtes
Mox indefeſſis artubus illud agam.

De amicitia.

Antiquos recolit celebranda poëſis amicos,
Concordes eadem laudat amicitias.
Nil tamen agnovit noſtris quod conferat annis,
Aut noſtræ laqueum vincat amicitiæ:
Adde quod inſanum Pylades Phocæus Oreſtem
Ad Scythicæ tulerit templa ſuperba deæ,
Seque Mycenæum fuerit mentitus Oreſtem,
Nil dubitans ſocii fata ſubire ſui.

Ad amicum.

Si fortaſſe voles ſtabilem diſſolvere nodum,
Qui nos perpetua jungit amicitia:
Affer Lemniacis decocta metalla caminis,
Affer & irati fulmina rauca Jovis.
Accipe belligeri prædurum marmor Hymetti,
Et lapidum quicquid Caucaſus aſper habet.
Marmore, fulminibus, ſcopulis diſſolvere nodum
Nitere, tange feri percute, firmus erit.
Firmus & incuſſo non diſſociabilis ictu:
Nam tibi ſum Theſeus, tu mihi Piri hous.

Ad patrem.

Si mihi ter centum nunc donet Jupiter ora,
Ipſe tuas laudes promere non potero.
Dum tamen undoſi piſces per ſumma natabunt
Æquora, & in vaſto curva carina mari:
Æ here dum pennis volucris depicta volabit,
Dum ferret exactus ſydera clara polus:

Ipſe

Ipſe tuum nitar clarum deſcribere nomen,
Quod ſemper dulci laude nitente viget.
Ergo agè, ſume meam tranquillo pectore chartam,
Metraque quæ nullo culta nitore micant.
Muſa licet magno non ſit confecta cothurno,
Luminibus tamen hæc grata ſit (oro) tuis.

Ad amicum.

Sæpe rogare ſoles qua tandem temporis hora
Ceſſabit noſtræ zelus amicitiæ.
Hyblæum marmor fac mollius eſſe butyro,
In media facias nube volare boves.
Junge lupis agnos, fac rectè incedere cancrum,
Fac noctis tempus clarius eſſe die.
Adde catis mures, milvis adjungito pullos,
Fac noctem tenebris, luce carere diem.
Fac albos corvos, & nigros effice cygnos,
Redde gelu calidum, frigida non ſit hyems.
Ignis frigidior ſit aqua, fac ludere blandos
Cum canibus lepores, des aliquid vacuum.
Ventorum flatus cohibe, freta ſint ſine motu,
Piſcis aquas fugiat, mors nihil interimat.
Gallina & vulpes ſub eodem tegmine vivant,
Pax odio vivat, vivat amore odium.
Sit ſine aquis pontus, facias montem ſine valle,
Non habeat plantas ſylva, nec aſtra polus.
Potet aquas formica maris, non ſit Deus uſquam
Si ſit, finem habeat, non moriatur homo.
Fac ſcopulos gemmas, fac ferro vilius aurum,
Ebrietas mores ſobrietatis amet.
Fama loquax non ſit, muliebrem comprime linguâ,
Fac Venerem caſtam, non moritura mori.
Fac humiles Gallos, Italos quoque redde pudicos,
Fac ſit ut Hiſpanis non temerata fides.
Velitibus furtum, & Veneto depone rapinas,
Fac ſine avaritia vivere poſſe ſenes.

Arver-

Arvernis rapas, Normanis tolle polentam.
Hypocrisin clauſtris, tolle jocos pueris.
Flamingos populos fac uti nolle butyro:
Sint ſimulatque ſemel partus & integritas.
Vita anima careat, Nivernenſes malè vivant,
Ver careat violis. Zoilus invidia.
Quando feceris hoc, vel factum videris illud,
Ceſſabit noſtræ zelus amicitiæ.

Ad eundem.

Sit licet inter nos diſtantia magna locorum,
Eſt tamen unito corde propinquus amor.
Sit licet & longè disjunctum corpore corpus,
Eſt tamen æterno pignore juncta fides.
Firmius eſſe puto noſtri glutimen amoris,
Quàm ſint è Paria marmora tracta ſpecu,
Sic noſtro firmi nexus in amore ligantur,
Ut nodus nunquam ſeparet ira Jovis.
Adde quòd hybernas quanquam tranſiveris Alpes,
Quæſieriſque vagi ſolis utramque domum:
Aut te cum magno paſcat Maurusia fœtu,
Siſque pharetratos vectus ad uſque Getas:
Haut tamen ille tuus noſtro de pectore vultus
Excidet, aut veteris fœdus amicitiæ.

Ad eundem.

O mihi Pirithoo ſemper fidiſſime Theſeu,
Suſcipe fraterna carmina ſcripta manu.
Hæc ſcripſi, ut quanto fueris mihi junctus amore,
Te noſtræ doceat pagina Calliopes.
Ut quem nulla tibi facit experientia notum,
Verſibus inſcriptis edoceatur amor.
In primis tibi ſum frater, ſi frater haberi
Sufficit, & pro te qui moriatur adeſt.
Unius, ex una matris non venimus alvo,
Ergo natura non mihi frater eris.

Quos

Quos non una parens effecit ſanguine fratres,
Pignus amicitiæ reddit amore pares?
Talem me credas, qui poſt te vivere nolit,
Sed qui te vivo malit obire prius.
Talem me credas, qui te quocunque jubebis
Iverit, & metas tranſeat Oceani.
Non ego me pro me, ſed me pro te puto natum,
Ergo ſit inter nos intemerata fides.

Carmen invectivum in ferulas.

Ultores utinam mihi Muſa pararet jambos
Archilochi, & veteris ſatyræ prænobile carmen;
Armatum ſtimulis & amaro pejus echino,
Quo ferulas teneræ lignum exitiale juventæ
Plagoſi ſceptrum Orbilii damnare liceret,
Sauromataſque vagos ultra præſcribere, væ væ,
Væ tibi ramorum mater miſerabilis arbos.
Quæ tales generas ſcuticas, quæ nil niſi virus
Mortiferum rigida ſpinoſior hiſtrice mittis,
Congrua vulneribus, laniandis congrua membris,
Aptaque detractum venis potare cruorem,
Et nunquam miſſura cutem, niſi defluat ingens
Sanguinis oceanus, niſi magnus decidat imber,
Et mutili rubeant humeri, rubeatque ſupinus
Infantum ſtomachus, diſtillent ſanguine venæ,
Mille cicatrices puteant in ventre fluantque
Ilia; dum lacero rapiantur corpore pelles,
Brachiaque exertis ſint penè ſimillima fibris,
Quas lupus occiſi de corpore diripit agni.
Quis modò feralem quis dixerit eſſe cupreſſum?
Cui, quæſo, ſalicis cortex videatur amarus?
Aut quis Cyreneas damnarit carmine taxos.
Arbor adeſt (tanto ſi digna eſt nomine planta)
Aſperior gladiis, ferro violentior omni,
Deterior ſpinis, & acuti cuſpide teli,
Unguibus urſorum, violentis dentibus apri,

Ser-

Serpentum pejor ſpiris, pedibuſque draconum,
O ſcelerata arbos, ſi te immatura juventæ
Corpora ſi ſexus te deteſtatur uterque,
Quid mirum? cùm cœlitibus miſeranda ſupernis
Diſpliceas! auros ſervat citharœdus Apollo,
Grata Jovi eſt quercus, chara eſt quoque vinea Baccho,
Navigiis aptas ſervat Berecynthia pinos.
Delectant myrti Venerem, frondoſa ſub Hercle
Populus, armigero cornus dilecta Gradivo eſt.
Aſt te nullus amat, Stygiæ te dixero plantam
Perſephones, nigrique fatam radice barathri.
Digna es tartareis quæ comburare caminis:
Quandoquidē prodeſſe nequis Jovis arbore glandes
Hybernæ veniunt, oleum dat planta Minervæ,
Vinea fert uvas dulces, lapidoſaque corna
Meſpilus atque nuces corni, tu nil niſi ſpinas,
Nil præter ſcuticas & flagra nocentia nutris.
O qui flammigerum jacularis ab æthere fulmen,
Frugiferam ramis permittas creſcere quercum,
Utilis eſt: hanc percutias quæ vulnera tantùm
Progenerat, tantumque ferendis apta flagellis,
Si potes, in flammas, rapidi tonitrua cœli
Projice, & ardenti nutritam ſulphure flammam,
Ardens Ætna globos jacias: Vos antra Pelori
Ardentes vibrate rogos, comburito plantam
Quæ pueros mutilat, quæ mollia terga fatigat,
Brachia corrumpit, faciem deformat, & oſſa
Atterit, & miſeros inhoneſto vulnere clunes
Lancinat, & tenera aſſiduum de pelle cruorem
Elicit, ô fœdis arbos damnanda cloacis!
Te nullæ flectunt lachrymæ, te nulla gementum
Verba mouent, non victa manus, non poples aduncus,
Non mollis juvenum promiſſio blandaque lingua.
Proſtrato parcit catulo brevis ira leonis,

At

At tu Marmaricum superas feritate leonem,
Blandus adulatur juvenis, suaviſſima labro
Verba movet tremulo: cervicem inclinat, ocellis
Te poſcit gemulis, te præcipiente miſellum
Denudat corpus, monſtratque rapacibus Euris
Inflatos clunes, caligas demittit ad imos
Uſque pedes: te nulla tamen querimonia flectit
Nullâq; ſigna movent: lachrymarū maximus imber
Non movet: ô fœdis arbor damnanda cloacis!
Te rapiant flammæ, Siculus te devoret ignis,
Eque tuo fiant ſerratæ ſtipite furcæ,
E foliis domus hydrorum, niduſque draconum.
E trunco fiant immundis fulcra latrinis,
Penthesileæam vel tu patiare ſecurim
Quas, quæſo meruit pœnas, quo carcere claudi
Verbere quo plecti, quo lædi vulnere, vel quam
Tormenti meruit faciem, qui primus in uſum
Te tulit, eque fecit ſibi vimine ſceptrum?
Ferreus ille fuit, fuit illi cornea fibra,
Robur & æs triplex in pectore, lacte lupino
Nutritus, rabidæ natus de Tigridis alvo.
Illum Gætulæ nutrivit mamma leænæ,
Illum urſus genuit, fuit exitiabile monſtrum.
Per caput hoc juro, dignus fuit in cruce corvos
Paſcere, & immundis miſerā dare vermibus eſcam,
Solertiſque fuit dignus qui more Perilli,
Primus facta ſua pateretur vulnera dextra.
Iſta per antiphraſim qui dicta putaverit, errat.

Defenſio ferularum.

Quid me carminibus laceras? quid quæris iambos?
Quid vetetis ſatyræ convicia, cæca juventus?
Purpureum ſi forte tuum depello cruorem,
Elicio; tumidoſque incenſo robore clunes
Vulnero vel nudis infligo verbera membris.
Si vetrem mulco, ſi verbero brachia, venas

Contero, vel crebris tibi perforo crura flagellis,
Me tibi propterea capitalem dixeris hostem?
Infligine tuo censes ea verbera damno?
Falleris: ipsa meis me sæpiùs exuo ramis,
Et foliis spoliata meis mihi nil, nisi duras
Conservo scuticas, & nil nudum nisi vimen,
Ut tibi porrectum majus fateare juvamen,
Inspice quid pro te patior, mea vimina flecti
Permitto rudibus laqueis, me perfero stringi,
Me vel ad usq; tuas humilis prope deprimo plantas,
Si fortasse aliquis pungat tibi corpora pulex,
Protinus expello modicos si sensero vermes,
Si sciero minimas clunes tibi pungere muscas,
Impositis abigo ramis, tibi confrico venas,
Et nudos titillo humeros, tibi more periti
Tonsoris traho corruptum de pelle cruorem,
Separo permixtos crines, scabiem aufero, semen
Doctrinæ infundo, virtutum confero germen,
Hoc potes obsequium rapidis committere ventis?
Non meminisse potes meriti? resipisce parumper:
Virgo tui siquidem studiosa est mater honoris.
Ne tamen exclamans capitalem dixeris hostem:
Nutricem potius dicas jactantia verbo,
Defuerit ferulas torpentibus utile calcar,
Dignas crediderim quas aurea capsa recondas,
Et quibus Assyrio juvenes libetis amomo,
Thuraque odorati spargatis mascula fumi,
Quas vel uterque genu curvato sexus adoret,
Sensissent ferulas si tempora prima Neronis,
Non tu, quem fausto generavit Corduba partu,
Efflasses animam, truncatæ sanguine venæ:
Non secto infelix periisset corpore mater:
Non simile Ideis vidisses Roma favillis
Diluvium: felix igitur studiosa juventus,
Cui tam divini medicamina sumere digni
Contigerit, stimulosque mei sensisse flagelli.

Cen-

Cenſuerim parili felices jure magiſtros,
Qui tam divino vitiorum germina ſceptro
Ejiciant, quantaſque habeant in corpore vires
Ictibus aſſiduis perhibent jurabo parentem,
Orbilium lautis divinorum occumbere menſis,
Quin & cœligenæ vicinum aſtare tonanti,
Quod crebris ſemper juvenilia corpora plagis
Fixerit, atque malo vacuarit ſanguine venas.
Iſta per antiphraſim credas ſtudioſa juventus.

Ad Thaidam de Fragilitate viæ.

Si tibi candentes niteant ô Thais ocelli,
Formaque conſpicuis æmula ſideribus:
Si nivibus certet facies, manus alba liguſtris,
Frons ebori, violis brachia, lingua favis:
Vincat Erythæum cervix preciosa lapillum,
Si labra Paſtanis invidioſa roſis:
Chaoniæ fuerit guttur ſi molle columbæ,
Si facies teneris mollior anſeribus:
Candida nobilibus certent ſi lilia venis,
Corycio certent omnia membra croco:
Compactas ſuperent quæ porrigis oſcula conchas,
Et ſacer in mammis eſſe putetur odor;
Herbaque dicatur reliquis præſtantior, illa
Clauſa tuo meruit quæ latuiſſe ſinu:
Annulus & Samii gemmam ſuperaſſe tyranni,
Qui fuit antè tuæ præda beata manus:
Sicque tuos felix tetigit quæ faſcia crines,
Sopitam felix qui te habuit thalamus:
An tamen elato debes turgeſcere faſtu,
Aſpicere & torvo quemque ſupercilio?
Eſſe putas niveæ decus immortale juventæ,
Perpetuum formæ credis habere decus?
Forma quid eſt, niſi flos primævi labilis ævi,
Quem teneris membris ſubripit hora brevis?
Forma quid eſt, niſi naturæ donum breve, donum

Æoliis longè mobilius Zephyris?
Cui nunc pulchra nitet facies, cui terſa venuſtas
Et roſeo multus fulget in ore decor:
Cui crocei crines, cui cervix purior auro,
Cui coma cœleſti dulcior ambroſia:
Cras feret exanguis forſan contagia morbi,
Qui nivei extinguet corporis omne decus.
Contrahet aut tremulæ rugas in fronte ſenectæ,
Sic brevis eſt formæ prætereuntis honos.
Sic variis ſpecies hominum eſt obnoxia morbis,
Sic primæ ætatis flos fugitivus abit.
Diſce igitur Thais formæ deponere faſtum,
Quem volucri leviùs cernis abire Noto.
At ſi tu hæc forſan nauci mea carmina pendas,
Atque putes nugis vaniùs hæc Siculis:
Te ſaltem faciant aliena pericula cautam,
Arguat in primis perdita forma Helenæ.

Oratio ad Virginem Mariam.

Pura Dei mater, cœli caſtiſſima lampas,
Stella maris, radix virginitatis ave.
Palma virens, nardus redolens, pietatis aſylum,
Juſtitiæ rivus, fons bonitatis ave.
Frons dulcis, regina poli, patrona reorum,
Humanæ lucis prævia lampas ave.
Lux terræ, limen paradiſi, gloria mundi,
Spes inopum, Chriſti regia mater ave.
Virgo, tuum generis noſtri eſt defendere cauſam,
Ne miſerum ſatanas devoret ore pecus.
Tuque potes noſtræ conducere lintea navis,
Ne ſub avernali detineamur aqua.
Te reparatricem noſtræ licet eſſe ruinæ,
Ne cadat in nigrum machina tota chaos.
Te penes eſt humana ſalus, nullamque repulſam
In voto poteris regia ſponſa tuo.
Ergo pudica parens, ô virgo puerpera Chriſti,

Re-

Rebus in adverſis ſuppetiere reo.
Scis quanto nixu, quantum ſubtilibus armis
Corporibus dæmon præparet inſidias.
Torpenti nunquam declinat lumina ſomno,
Ut dubiè vinclis illaqueentur oves.
Pervigiles agit excubias, pergitque reditque,
Amiſſas ſemper quærit habere animas. (ptos,
Vidit enim hic homines Chriſti pro morte redem-
Et ſalvum ad Superos evolitare gregem:
Invidiam noſtræ produxit origo ſalutis,
Quæ ſolet infauſtis rebus habere locum.
Ergo pudica parens, illæſa puerpera Chriſti,
In ſatanæ fraudes ſer mihi ſuppetias.
Irrita ne maneat regalis paſſio Chriſti,
Sed fragili profint vulnera quæque animæ.
Per tua quæ dulcem fuderunt ubera ſuccum,
Te precor, & clauſtri viſcera caſta tui:
Ut quocunque iero, mea ſis certiſſima cuſtos,
Et noſtræ ſemper fida magiſtra ratis.
Seducit dæmon, ſtipulat caro, mundus adurit,
Solus ego nequeo belligerare tribus,
Sola trium poteris diras contundere fraudes,
Sola trium vires vincere & arma potes.
Quando igitur veniet pereuntis terminus ævi,
Quo mihi ſupremum finiet hora diem:
Non me permittas armis hoſtilibus angi,
Et nigra tartareæ quærere tecta Stygis:
Sed tua feſtivum concedat dextra levamen,
Et mihi cum ſanctis ſit fine fine quies.
Sponſa Dei, regina poli, dia mater amoris,
Chriſti ex te nati filia pulchra, vale.

Ad eundem.

Salve munimen viventum, regia mater,
Præſidium populi, nutrix prædulcis alumnæ
Naturæ fragilis: virgo caſtiſſima, ſacræ
Janua virtutis, aſtrum, fomes pietatis,

Lucis asylum, sobrietatis amoris imago.

Ad eandem.

Virgo Dei mater nullo corrupta virili
Semine, sis nostræ fida magistra ratis.

Ad Deum omnipotentem.

Rex regum, benedicte parens, qui trinus & unus
Regnas, infirmæ suppetiere animæ.

Ad Papam.

Si nolis servare greges ex ore luporum:
Te saltem in pecudes non decet esse lupum.

Ad Regem.

Tu rex, regnando regimen sic dirige regni,
Ut post hoc regnum regna super habites.

Ad Episcopum.

Pastor oves serva: servando sis velut Argus:
Ne lupus inferni te voret, atque gregem.
Tu tondere gregis lanas, non radere debes,
Custodi teneras ut vigil Argus oves.
Nil mirum si nulla salus sit ovilibus ægris:
Custodes etenim cernimus esse lupos.

De Judicibus.

Exiles telis captivat aranea muscas,
Pauperibus nudis fert sua vincla Cato.
Justitia extiterat quondam sine lumine, sed nunc
Justitiæ visum munera restituunt.
Sis vis lucrari causam, satiare patronos
Convenit, & donis frangere causidicos.

Ad amicum.

Limosum bibulas voluit quot littus arenas,
Frigida piscosum dum mare turbat hyems:
Aurifluo celeres volitant quot in aëre muscæ,
Dum mediæ æstatis tempora verna calent:
Pinguia quot mittunt cereales jugera spicas,
Quotque itidem spicæ grana minuta ferunt:
Squammosi gelido vivunt quot in æquore pisces,

Quot

Quot varias aër nutrit amœnus aves:
Quot foliis ſylvæ, quot guttis æquor abundat,
Quot ſtellis æther, quot creat Hybla favos:
Tot tibi perpetuæ ſuccedant dona ſalutis.
Sit tibi per vitæ tempora fauſta ſalus.
Nondum præſagam norunt mea dicta poëſim,
Pieriis tinctum non fero guttur aquis:
Hoc tamen incultum quamvis tibi miſero carmen,
Non hoc Zoileo carpere dente velis.
Sum velut immerſus non notis Icarus undis,
Qui mihi inexpertum quærere nitor iter.
Sum velut æthereæ Phaëton moderator habenæ
Qui volo non notæ ducere plauſtra rotæ.
Sum tanquam ductor Pegaſææ navis Jaſon,
Qui volo inaſſueta carminis ire via.
Sim tamen ignoto quamvis temerarius auſu,
Et mihi non nota carminis arte loquar:
Non tamen infigas ſermoni mordicus unguem,
Sed potius gratâ fronte videre velis.
Carmen non ſcribo ut videaris carminis expers,
Nam tua Pierius currit in ora latex,
Et tibi laurigeræ donarunt oſcula Muſæ,
Eſt tibi Phœbea non minor arte lepos.
Thracia ſi lyrico cantes præconia vati,
Tuque tuis pariter diceris eſſe decus.
Sic ſolitæ non ſunt Dryades aſſurgere Phœbo,
Ipſa nec Andino Mantua vate tumet:
Ut te tota tuæ collaudat concio gentis,
Jam te ſemideum ſecula noſtra putant.
Si te ſpectaret vivum Phœbeia Delos,
Te Clarium in terrâ crederet eſſe Deum.
Si Smyrnam peteres, te fortè putaret Homerum,
Corduba Lucanum, Gnoſia Creta Jovem.
Et brevis ut noſtrum claudat ſententia carmen,
Normano populo crederis eſſe Deus.
Jamque vale, errantē non ſpernas Pſittace corvum,

Obstreperam picam spernere nolit olor.

Ad eundem.

Quando Menœtiades Phrygiis Patroclus in armis
Hectoreo vulnus mortis ab ense tulit:
Quamvis ob raptam Bryseida Phthius Achilles
Argivis ducibus ferre negaret opem:
Attamen auditum post cæsi vulnus amici,
Sumpsit in Idæos protinus arma Phryges.
Vindictamque petens Getuli more leonis
Sævit in Iliadas, ut lupus inter oves.
Nec prius abstinuit dubiis furiosus in armis,
Ultor quàm Phrygio dirus ab hoste fuit.
Sic rediit vindex prostrati justus amici,
Conspersa Hectoreo tela cruore gerens.
Sed quorsum hæc, socii mortem expectavit Achillis?
Non erat hoc veræ pignus amicitiæ.
Illa sequi in gladios socium debebat euntem,
Ultio post mortem sumpta juvare nequit.
Inter nos habitat majoris zelus amoris,
Quàm sit Achilleæ nodus amicitiæ.
Si tibi conspicerem præsens instare periclum,
Objicerem intrepidè corpus in omne malum.
Nec credas quòd te sufferrem in corpore lædi,
Me vivo nunquam læsus ab hoste fores.
Et si me vivo percussus fortè perires,
Hoc guttur cultris te morientè darem.
Quòd si interfector forsan mihi deforet hostis,
Ista meæ mortis conscia dextra foret.
Non ego me pro me, sed me pro te puto natum.
Ergo sit inter nos intemerata fides.

Epitaphium Magistri Adæ de sancto Victore.

Hæres peccati naturâ filius iræ,
Exilii que reus nascitur omnis homo.
Undè superbit homo, cujus conceptio culpa,
Nasci pœna, labor vita, necesse mori?

Vana

Vana ſalus hominis, vanus decor, omnia vana,
Inter vana nihil vanius eſt homine
Dum magis alludit præſentis gloria vitæ,
Præterit, immò fugit: non fugit, immò perit,
Poſt hominē vermis, poſt vermē fit cinis: heu, heu,
Sic redit ad cinerem gloria noſtra cinis.
Hic ego qui jaceo miſer & miſerabilis Adam,
Pro ſummo modicas munere poſco preces.
Peccavi, fateor: veniam peto: parce fatenti,
Parce pater: fratres parcite: parce Deus.

Carmen ad imitationem Virgilii.

Non ſibi, ſed cunctis
- Quærit avarus opes.
- Vina racemus alit.
- Hortus alit violas.
- Jupiter eſſe dedit.
- Multa miniſtrat humus.

Non tibi, ſed domino
- Prata Moloſſe teris.
- Fercula ſerve paras.
- Porrigis olla cibum.
- Porrigis arbor opes.

Eſt / Jure } aliis { ſervire / qui } tenetur.

Sum / Jure tibi { ſervire / me } neceſſe eſt.

Te nulli / Aut { cunctos / Are } videris.

Cùm cunctos / Es, { Te laude / Fero } unctis.

Quid fœmina.

Fœmina blanditur, laqueos parat, arma miniſtrat
Decipit, excæcat corpora, membra necat.
Debilitat vires, hominem attrahit, oſſa perurit,
Flet, ridet, ſimulat, dat, petit, odit, amat.
Haurit opes, plenam ſolet evacuare crumenam,
Bella gerit, frangit mœnia, caſtra domat,
Fert violas, gaudet ſpeculis, ſolet eſſe jocoſa,
Gaudet odore, petit baſia, corpus amat,
Diſponit crines, faciem lavat, ocia quærit,
At tacitè verbi & prodiga, parca boni.
Eſt ex Lernæis oriunda paludibus Hydra,
Turgida ſaxificæ Gorgonis ora ferens.
Eſt mel interna concludens parte venenum,
Maſcula Palladia corpora voce trahens.
Eſt flos arcano portans in vertice vermes,
Frigida ſub tacita toxica pelle ferens.
Sirenum verbis capiens fallacibus aures,
Ignoto mergens naufraga vela mari.
Eſt fallax blandam prætendens ſcorpio caudam,
Quæ dum blanditur, mordet & interimit,
Eſt roſa quæ prima nares perfundit odore,
At grave, tam ſitida ſub cute virus olet.
Eſt Circe, niſi ſe cautum quis præſtet Ulyſſem,
In fœdas vertens corpora noſtra ſues.
Eſt Harpyia ferox, deturpans aëra pennis,
Quæ ſolita eſt humilem dilaniare gregem.
Eſt ſerpens, vulpes, vultur, crocodilus, & urſus,
Gorgone potentum durius hydrigena.

De Fortuna.

Fortunæ facies lachrymabilis atque jocoſa eſt:
Læta juvat facies, ſed lachrymoſa nocet.

De

De eâdem.

Cur nequit à cunctis fortunæ nomen amari:
Illam dives amat, cui malè dicit inops.

De statu vitæ carmen Elegiacum.

O homo, quid stolidi vario sermone popelli
Gestis? quid vanæ laudis amore tumes?
Quid verbosa juvant indoctæ murmura plebis,
Mobilior rabido, quæ solet esse Noto?
Vana quid insulsi prodest sententia vulgi?
Optima dat vitio, deteriora probat.
Sollicitus pendes alieno ex ore superbis,
Illicito multas fœnore quæris opes.
Et nunc extremos propera festinus ad Indos,
Nunc fragili tendis per vada cæca rate.
Nunc Ægyptiacos statuis percurrere fines,
Nunc petis Adriaco rura propinqua mari.
Vestis odorifero perfusa notescit amomo,
Quod legit in pingui decolor Indus humo.
Articulos adamas, vultum cerussa decorat,
Dividuas ornant serta venusta comas.
Pernicioſa suas exercent crimina vires,
Allicit humanum tetra libido genus.
Improba neglectâ regnat probitate voluptas,
Et Venus injecta prodigiosa face.
Innumeris potitur ventosa superbia regnis,
Immoderatus opum corda gubernat amor.
Ædificas semper, factas quoque diruis ædes,
Nunc ubi sublata est mensa, cubile petis.
Diceris inconstans; varius mutabilis, excors,
Vanus, iners, demens, mobilis, insipidus,
Sarosancta Laris jampridem numina lugent
Quòd nequeat unam certus habere domum.
Si ducenda tibi conjux tam sæpè fuisset,
Mille tibi posses jam numerare socrus.

Audi

Audi & crede, nihil prosunt hæc omnia, nempe
Ista nequit stabilem vita tenere modum.
Fabula vana sumus, vita est hæc ventus & aura:
Prætereunt volucri tempora nostra die.

Ad generosissimos, & magnæ spei adolescentes, Antonium & Franciscum Boheros, nobilissimi Normaniæ Quæstoris filios.

Effodiat geminos mihi bubo siniſter ocellos,
Pascaturque meis noctua visceribus.
Infernasque mihi tendat Proserpina larvas,
Ac me tartarei sollicitent Lemures,
Si vos præteream tacitos, duo sydera fratres,
Sydera Ledæis æmula syderibus.
Nam quis præclara vobis fuit indole major,
Quem fovet gremio docta Navarra suo?
Vobis ingenium vehemens sitibundaque semper
Doctrinæ & clari mens fuit eloquii.
Constans in studiis animus, spes semper honoris,
Vincendique pares magna cupido fuit.
Nec nisi victores nostra cessistis arena,
Seu prosa facta est facta ea seu numeris.
Quis vos ignavo vidit torpore veterno?
Aut non assidue Pierides colere?
Quæ puerile aliquod verbum stultúmve locutos?
Aut sacras morum destituisse vias?
Nec mirum si vos comitetur candida virtus,
Si sancti mores, si probitatis amor:
Namque malos fructus nunquam bona parturit arbos,
Nec lolium aut tribulos nobilis hortus alit.
Vobi divinæ pater est virtutis amator,
Matri sunt comites religio & pietas:
Vobis Remigius doctrinæ semina sudit,

Remi-

Remigius lepido Tullius eloquio.
Vos igitur meritò morum nutrivit honestas,
Et gremio virtus fovit amica suo.
Quos tanta digni genuerunt laude parentes,
Phœbeoque aluit nectare Remigius.
Nunc solita properate via duo sydera fratres,
Sydera Ledæis æmula syderibus.
Sit speculum vobis utriusque parentis honestas,
Sit speculum docti gloria Remigii.
Si semper libeat solitis incumbere Musis,
Et Phœbo & Musis dulce volumen adest.

Ad Franciscum Clivienſem Regii ſanguinis & probatiſſimæ indolis puerum Epigramma.

O qui conſpicuis Franciſce parentibus ortum
Ducis, & à ſummâ nobilitate genus.
Aſpice qui faciat ſtudioſus arator in agro,
Ut pura æſtivo tempore grana legat.
Evellit ſpinas, vepres obtruncat, amaras
Demetit urticas, dejicit & lolium.
Et tu ſi quæris virtutum nobile ſemen,
Quale tuæ fulgor nobilitatis amat,
Urticas ſcelerum prima depone juventa
Quæ damno caſtis moribus eſſe ſolent.
Sic tu regali facies opus indole dignum:
Apta tuo generi ſic tibi meſſis erit.
Utere prudentum monitis alienaque ſemper
Gloria, dum vives ſit tibi pro ſpeculo.
Utq; Themiſtocles olim excitus eſſe trophæis
Milinadis priſcis dicitur hiſtoricis:
Sic te clara patris virtus, ſic candida matris
Relligio, ad mores & bene facta vocent.
Et quoniam nihil eſt niſi pondus inutile terra,
Qui ſine doctrinâ vivit inanis homo:

Invi-

Invigila ſtudiis, ut tanto nobilis ortu,
Sis etiam claro nobilis eloquio.
Si juvet ad doctas animum convertere Muſas,
Jucundum Muſis ecce volumen habes.

De natali Domini.

Sole jubar majus lunæ, præclarius aſtrum
Naſcitur, & toto fundit ſua numina mundo.
Ecce Palæſtinæ verus de virginis alvo
Egreditur vates, procul ô procul eſte prophani:
Ite procul quos ficta juvant idola Deorum,
Famoſumq; Jovem ſtupris, dominum eſſe potentem
Scribitis, & tonitru refugas componere nubes,
Ignitumque manu terris immittere fulmen.
Verus adeſt Dominus, qui cuncta elementa figuris
Exornans veris, cœlos, terram, aëra, pontum
Fecit, & omnigenæ fabricavit corpora formæ.
Hic immortalis moribundum ſumere corpus
Virginis in clauſtro voluit, terraſque jacentes
Incolere, ut primi delens peccata parentis
Eriperet vinclis animas, prædamque barathro,
Tartareiſque lupis captivum auferret ovile.
Pangite paſtores, paſtorem neſcia virgo
Maſculei coitus, intacta protulit alvo.

Ad amicum.

Dum matutinum conjunx Tithonia lumen
Expulſis ſpargit tenebris, & lumine claro
Circuit ingentes terras, exurgere cogor
Anxius è ſomno fidum viſurus amicum,
Præcipites fero voce ſonos, & flebile carmen.
Erumpunt oculis lachrymæ, mens pallida riſu
Semoto languet, quod Caſtoris abſit amicus.
Exurgas igitur, Pythiam ſolabere Damon:
Solus ego tecum moriar ſi ſit tibi vulnus,
Vulneris illius medium tolerabo dolorem,

Si

Si plores, plorare volo; si morte recumbas,
Tecum etiam moriar; si submergaris in undis,
Te jam submerso nolo contingere portum;
Si rides, ridere volo; jam vade peregrè:
Tecum etiam peregrinus ero; si navita fias,
Nauta ero; si fias pauper de divite, pauper
Esse volo; si etiam fias de paupere dives,
Nolo tibi fieri socius, satis est famulari.
Et qui te lædet solam mittendo sagittam,
Uno etiam telo geminos se lædere speret.

De pace Carmen.

Pax cœleste bonum sacris altaria flammis
Atque tepescentes suscitat igne focos.
Pax hominum genetrix, pax est custodia rerum,
Pax aperit juris justitiæque forum.
Nulla dies homini, nulla est sine pace voluptas,
Nullus amor, nullum religionis opus,
Pax urbes, pax regna ligat, pax congregat orbem,
Fiat ut ex multis urbibus una domus.
Sæcula pax renovat, pax aurea tempora confert,
Et mores priscæ simplicitatis habet.
Ingenuæ redeunt artes, Academica florent
Ocia, Castaliæ sollicitantur aquæ.
Pax facit innocuos saltus, nemorumque recessus
Tutus it, & tutas advena portat opes.
Pax cererem campis, & mitem collibus uvam
Efficit, armoso dividit arva bove,
Grammina pace virent, præpinguia pascua, lætum
Luxuriat multâ fertilitate pecus.
Pax vehit auratas peregrina per æquora merces,
Et steriles ponti non sinit esse vias.
Pax hilares mensas facit & convivia passim,
Et recreat molli tristia corda mero.
Pax aperit thalamos hymenæaque carmina cantat,
Excitat, & resides non sinit esse lyras.

Pro

Pro gladiis lances gerit, & pro caſside ſcuta,
Et ſua Palladia tempora fronde ligat.
Geſtit, & ad Thyaſos agili volat ardua ſaltu,
Et vocat ad feſtos agmina longa dies.

Modus retinendorum amicorum.

Plurima des, perpauca petas, nil accipe, ſi nil
Accipias, & pauca petas, & plurima dones,
Gratus eris populo, te mille ſequentur amici,
Si nihilum trades, fies privatus amico.
Plurima ſi quæres, multam patiere repulſam.
Si multa accipias, populus te dicet avarum,
Nil cape, pauca petas, da plurima, habebis amicos.

De bello.

Bella necant homines, faciunt ſine honoribus aras,
Urbis & agrorum depopulantur opes.
Ah pereat, fuerit qui tanti criminis author!
Triſtiaque humanas miſit ad arma manus.

Ad amicum.

Ut Lariſſæum Patroclus amavit Achillem,
Ut fuit in Pyladem certus Oreſtis amor:
Pirithoum ut Theſeus, Pollucem ut Caſtor, Achates
Arſit ut Idæi Martia facta ducis:
Sic ego amicitiæ ſtabili tua pectora nexu
Vincio: quem nihil hinc diſſociare poteſt.
Mens eadem eſt nobis & idem cor, una voluntas,
Qualeſcunque hilari perlege fronte modos.

Oratio ad Chriſtum.

O Deus æterno qui dirigis omnia nutu,
Cuique aër, cœlum, terra fretumque ſubeſt:
Sacra Palæſtinæ clauſit quem virginis alvus,
Quem mundi florem flos ſine labe tulit:
Qui genitus ſine matre Deus, ſine ſemine natus,

Cre-

Crederis, & mundum qui ditione regis.
Da mihi nunc veniam, Rex, te offendisse fatenti,
Et cœli pateat, Rex, precor aula domus,
Ruptaque conspicui post flamina luminis aura,
Fac fruar, auxilium tu mihi quæso feras.
Fac mea tranquillo veniant ad littora flatu
Carbasa: fac turbent nulla pericla ratem,
Dirige tyrones tu Rex ô maxime regum,
Participes claræ lucis ut esse queant.
Nulla salus nobis sine te est, nec cauta salutis,
Nec cuiquam æterni luminis aura patet.
Da, precor, optatum vitæ traducere lumen,
Libera cœlestes ut petat umbra domos.

Ad spectatores.

Si tenui incultum pangamus arundine carmen,
Et canat exiles nostra camœna modos:
Vos tamen eximii tetrica gravitate Catones
Parcite, de parvo gurgite parva fluunt.
Æquora balenas gignunt, parvo sed in alveo
Exilis tantùm barbulus esse potest.
Vinea prædulces profert bene culta racemos,
Emittit tribulos non bene cultus ager.
Nos sumus inculti, nobis non spirat Apollo,
Dum bene culti erimus, messis erit melior.

Caroli Francorum Regis, hujusce nominis octavi, Oratio, in bello Fornovienſi, ad milites habita.

O fratres, quos participes regni atque laboris
Assumpsi mecum, nec vos sine dote reliqui,
Vos ego non famulos, sed charos nomine fratres,
Quos amo plus vita: si quid Romana vetustas
In bello Fabius referat fecisse potentes,
Hoc facite ut nostris non sit prælata diebus

Fama

Fama potens veterum, Quoniam vel morte cadendum eſt,
Aut decet inviſos peſſundare fortiter hoſtes,
Me vos perturbet martis formido, nec ingens
Copia certantum, qui nos ſubvertere ſperant.
Nam ſi hodierna dies fuerit veſtræ ultima vitæ,
Prima tamen veſtri ſemper dicetur honoris.
Si corpus pereat, crementum fama reſumet.
Quid contraxiſtis frontem? mortémne timetis?
Quòd peditum adverſæ ſit major copia parti?
Sunt hoſtes fateor plures: ſed ſæpè duobus
Præda fuit canibus multorum turba luporum,
Sæpe unus Boreas denſæ concurrere ſylvæ
Audet, & innumeras perflando diſſipat ulmos,
Si ſumus in numero contra tot millia pauci,
Quid tum propterea? cauſa potiore movemur
In tantas acies numero concurrere pauco.
Sæpe fit ut modico ſociatus milite princeps
Innumeram Xerxis valeat propellere gentem.
Vos igitur, ſi qua eſt hodie ſpes ulla ſalutis,
Cognati fratres, vitæ præponite laudem,
Nec nobis ſit triſte mori, nam corporis hujus
Immoritura brevem penſabit gloria mortem
Veſter ego frater, quem ſumpſit Gallia regem
Indignum, pugnæ primos intrabo tumultus.
Primus ego campum ingrediar, præponere vitæ
Immortale decus ſpero, nec turpe putetis
Corpus in externa moribundum perdere terrâ,
Sed ne fortè mei ſimulatum pignus amoris
Credatur, vobis cunctis ego baſia dono.
Nec ſi nos omnes multus concluſerit hoſtis,
Sollicitos perferte animos, cautelam ego novi,
Quâ nobis aditum mediòs quæramus in hoſtes.
Convenit ingentes ex ſylva carpere ramos,
Quos firmis laqueis collo nectamus equorum.
Sic ubi conflent inimici, curret illos

Cor-

Cornipes, & quotquot timidos invenerit hoſtes,
Obruet in terram ramo: via talis habenda eſt.
Eſt aliud mihi conſilium, permittere fas eſt
Cornipedes noſtros ſemoto currere freno,
Ut quos non poterit gladiorum ſternere cuſpis,
Morſus equi perimat. Quare certare neceſſum eſt,
Certate, & validis alacres incumbite nervis,
Ex vobis aliquos regales ferre coronas
Convenit: ut nequeant hoſtes cognoſcere regem,
Hoc ego conſilium vobis committo. Sed ecce
Hoſtis adeſt, rauco clangat taratantara cornu,
Concrepitent litui, clypeos adjungite dextris.
Imus in hunc, mactate illos, curramus in iſtum;
Ignitos ſtertens volvat bombarda molares.
Si quis cognorit Baleares volvere fundas,
Volvat, & immenſo perterreat aëra jactu.
Arcubus aptentur funes, & turbine Martis
Pulverulenta ſtrepat tellus: aptate ſagittas,
Calcar equos pungat, facite ut vos eſſe viriles
Fornovius teſtetur ager, curramus in hoſtes.
Jam taceo, nil verba juvant, plus proderit ictus.
Hoc dixiſſe ſat eſt, morti præponite famam,
Debet in auſteris quæri victoria rebus.

Ad amicum iratum Epigramma.

CUr mea mens, mea dextra manus, mea dextera mamma,
Contrahis irata fronte ſupercilium?
Cur tam ſubmiſſa reddis mihi voce ſalutem,
Reddere quam læta fronte ſolebat amor?
Cur tua vox animi certè verſatilis index,
Pura & aperta priùs, tam modò rauca mihi eſt?
Quando oculis quondam veniebas obvius iſtis,
Spectare Attalicas penè videbar opes?
Quas mihi fortunæ deferret nuncius, aut qui
Poſteri pomum contulit Iliaco?

Dum

Dum licuit veras audire & reddere voces,
Credebar magno ditior esse Jove.
Dum potui miscere sales, verbisque jocari,
Quis me stellifero major in axe fuit?
Sed mihi quæ toties mortalia fata resolvit,
Invidit tantos cæca noverca dies.
Quando mihi occurris, vel quà pertranseo sulcos,
Glandilegi videor cernere corpus apri,
Qui mihi dentifero pugnam denunciet ore,
Frendeat increpitans, incutiatque minas.
Gratia quæ tereti nativa sedebat in ore,
Versa est in rugas, multiplicesque sinus.
Et quem Democriti facies, augustaque frontis,
Integritas divis fecerat esse parem:
Huic vultus qualem crinita immanibus hydris
Tisiphone & flagrans igne Megæra facit.
Mitior ambrosia fuerat, qui mollior albo
Anserulo, spinas durus & asper habet,
Quem mihi quæ lætum fortasse Aurora ferebat,
Hæc erat astrorum lumine candidior,
Quem nunquam satis hic oculus vidisse putabat,
Quem nunquam visa est sat tetigisse manus.
Cur mea mens, mea dextra manus, mea dextra papilla
Contrahis irata fronte supercilium?
Hic tuus est, qui te tantum dilexit amicus,
Plus geminis oculis, plus & utraque manu.
Hic tuus est, qui te toties tremulo ore vocavit,
Qui pro te toties ora rigavit aquis.
Non tam est Alcidæ quæsitus Hylas puer olim,
Nec tam quæsita est Penelopea procis,
Quàm sæpè attonitis ego vocibus aëra rupi,
Sollicitus curans plus tua fata meis.
Pro quo sunt pugnata mihi tot bella, tot hostes
Quæsiti famæ tot mala verba meæ.
Quem cithara Chiron primis instruxit ab annis,

Fe-

Feciſſe exequias fertur amicitiæ.
Quique prius Trojana latens neglexerat arma,
Ad pugnam chari ſanguinis ultor iit.
Senſit amicitiam Pyladæ damnatus Oreſtes,
Niſe, tibi Euryali cognita flamma fuit.
Ingratum Æneam ſi cognoviſſet Achates,
In mediis hominem deſtituiſſet aquis.
At quoniam ſyncerus amor non indiget iſto
Nomine, nec ficto corpore ſana fides:
Nec ſocium Æneas, nec Achates liquit amicum,
Non ſolet adverſis credere rebus amor.
Nunquid ego officium veré præſentis amici
In minimo videor deſeruiſſe pilo?
Si tibi ſum viſus nunquam ſimulatus & aſper,
Si tibi præſtiterim quicquid amoris erat:
Cur mea mens, mea dextra manus, mea dextera mamma,
Contrahis iratâ fronte ſupercilium?

Finis Dialogorum aliquot & Epigrammatum Joannis Raviſii Textoris Nivernenſis.

TA-

TABULA
In hoc Volumine contentorum.

Dialogus, Terra, Ætas, Homo, & alii pleriq; Pag. 1.
Dialog. Tres mundani, Mors, Natura, &c. 17
Dialog. Dives glorioſus, & Adulatores, &c. 49
Comœdia Juvenis, Pater, Uxor. 71
Dialog. Sapiens, Juvenis, Senex. 82
Dialog. Mundus, Liberum arbitrium, &c. 89
Epitaphium Philippi Helenini, Equitis Aurati. 112
Dialog. Rumor malus, Concordia, &c. 115
Dialog. Tres Epicuri, Morbus, &c. 128
Dialog. Calliope, Lectio quarta, Tres pugiles. 148
Dialog. Pecunia, Piger, Labor, Patiens laboris. 168
Dialog. Eccleſia, duo Epiſcopi, tres Hypocritæ, &c. 178
Dialog. Theophilus, Contemptor mundi, Mors, &c. 204
Dialog. Therſites, Vulcanus, mater Therſitis, &c. 239
Dialog. Mors, & Viator. 248
Dialog. De filio prodigo. 255
Dialog. Myſtillus, duo Thraſones, Tarataſſa. 272
Dialog. Pauper & Fortuna. 281
Dialog. Moria, duo Mendaces, &c. 285
Dialog. Fortuna & Aulicus. 301
Dialog. Amor, Salomon, Interpres, &c. 311
Dialog. Troja, Salomon, & Samſon. 319
Dialog. Avium. 339
Dialog. Maximilianus, Furor bellicus, & Pax. 344
De puritate Virginis & Chriſti nativitate. 352
De brevitate vitæ. 356
Ad Maximilianum Inſubrium ducem. 358
De paſſione Chriſti. ibid.
Ad graviſſimum patrem dominum Nicolaum Bouſſard Cancellarium Pariſienſem. 362
Oratio ad Virginem Mariam. ibid.
Epitaphium primi Præſidis Pariſienſis. 363
Carmen bellici conflictus narrativum. 365

Car-

Carmen de pace. 367
Viri celebris defuncti Epitaphium. 369
Aliud idem. 370
De contemnenda voluptate elegia. 372
De natali Dominico carmen. 373
Ad versipellem. ibid.
Ad invidum. ibid.
De amicis acquirendis. 374
Aliud. ibid.
Ad quendam formosum appetentem sacerdotium. ibid.
Ad quendam fidissimum Orestem. ibid.
Ad invidum. 375
Ad eundem. ibid.
Frustra est deplorare mortuos. 376
Ad petendos agros. ibid.
Ad avunculum. ibid.
Ad eundem. 377
Epitaphium. ibid.
Gratiarum actio. 378
Ad amicum. ibid.
Ad eundem. ibid.
Ad eundem. 379
Ad amicum & invidum. ibid.
Ad amicum. ibid.
De amicitia. 380
Ad amicum. ibid.
Ad patrem. ibid.
Ad amicum. 381
Ad eundem. 382
Ad eundem. ibid.
Carmen invectivum in ferulas. 383
Defensio ferularum. 385
Ad Thaidem de fragilitate vitæ. 387
Oratio ad Virginem Mariam. 388
Ad eandem. 389
Ad eandem. 390

TABULA.

Ad Deum omnipotentem. 390
Ad Papam. ibid.
Ad Regem. ibid.
Ad Episcopum. ibid.
De Judicibus. ibid.
Ad amicum. ibid.
Ad eundem. 392
Epitaphium magistri Adæ de sancto Victore. ibid.
Carmen ad imitationem Virgilii. 393
Quid fœmina. 394
De Fortunâ. ibid.
De eâdem. 395
De statu vitæ carmen Elegiacum. ibid.
Epigramma ad Antonium & Franciscum Roberos. 396
Epigramma ad Franciscum Clivien sem. 397
De natali Domini. 398
Ad amicum. ibid.
Carmen de pace. 399
Modus retinendorum amicorum. 400
De bello. ibid.
Ad amicum. ibid.
Oratio ad Christum. ibid.
Ad spectatores. 401
Caroli octavi oratio ad milites. ibid.
Epigramma ad amicum iratum. 403

FINIS.

FL43233